ETHICES CHRISTIANAE

INSTITUTIONES

E PURIORIBUS SACRAE THEOLOGIAE FONTIBUS

AD USUM

CLERICORUM DEDUCTAE

AC SUMMATIM IN QUATUOR LIBROS DIGESTAE

A D. ALOYSIO FERRARI

IN THEOLOGICA ACADEMIA ROMANA CENSORE

EXAMINATORE PRO-SYNODALI

CANONICO CATHEDRALIS MUTINENSIS

ATQUE IN R. ARCHIGYMNASIO

P.^{O} EJUSDEM DISCIPLINAE PROFESSORE

LIBER II.

MUTINAE

EX TYPIS G. VINCENZI ET SOCII

M. DCCC. XXXIII.

ETHICES CHRISTIANAE

INSTITUTIONUM

LIBER SECUNDUS

DE REGULIS ACTUUM HUMANORUM

§. I.

Quoniam ex iis, quae libro institutionum primo tradidimus, plane innotescit, moralitatem actus humani ab ejus conformitate pendere vel repugnantia regulis morum; profecto quae recta, quae prava sint haud unquam rite dijudicari poterit, nisi prius regulae hujusmodi perspectae habeantur. Cum itaque cultoris Ethicae Sacrae munus sit dedita opera, summoque studio eas prae ceteris investigare; hinc res omnino exposcere videtur, ut, postquam de actibus humanis disseruimus, sermonem in praesens ad eorum convertamus normam, quae duplex a Theologis enumeratur. Harum prior *Lex* est, quae cum ab externa causa, hoc est, a Legislatore procedat, regula morum *extrinseca* dicitur ac *remota*. Altera *intrin-*

seca et *proxima,* quam in nobismetipsis experimur, quaeque de actuum nostrorum bonitate aut malitia nos admonet vel invitos, *Conscientia* vocatur.

Utraque norma jam sponte praebet hujusce libri divisionem: confestim igitur a prima ejus parte sumamus exordium.

PARS PRIMA

DE LEGE.

§. II.

Quoad etymon legis non una est scriptorum opinio. Complures hanc vocem, quae graece redditur *nomos,* a *nemo,* quod idem est ac *tribuo,* derivant, cum legis et aequitatis proprium sit cuique suum tribuere. Plerique cum Tullio a *deligendo* proficisci legem existimant, quia legibus inest rerum agendarum delectus. (1) A *legendo* aliis placet legem nuncupare ex more, quo statuta populo legenda et agnoscenda proponuntur. (2) Aliqui tandem legem a *ligando* deducunt,

(1) — Legem, inqnit Augustinus Quaest. 20. in Leviticum, ab eligendo Latini Auctores appellatam esse dixerunt —: atque inter eos Cicero lib. 1. de Leg. N. 6. haec scribit: — Sicut (graeci) aequitatis, ita nos delectus vim in lege ponimus, et tamen proprinm utrumque legis est —.

(2) Isidorus Hispalens. lib. 2. origin. cap. 10. ait — Dicitur lex, quoniam scribitnr, et legenda proponitur —.

quatenus ea obligat, et quasi vinculum illos, quibus imponitur, constringit. (1) Interim, si vocis significationem tantummodo spectemus, Lex ab Angelico appellatur 1. 2. Quaes. 90. art. 1. = regula quaedam, et mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur =. Si vero ipsa res per vocem significata consideretur, ibidem art. 4. Lex definitur = rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet promulgata =. Haec S. Doctoris definitio, cui generatim concinunt theologi, pluribus animadversionibus explicatur.

Animadversio 1. Lex est *ordinatio*. Ergo praeceptum continet, eique parendum est. Exinde consequitur, legem discerni penitus a consilio, quod quamvis esse valeat actionum norma, pro arbitratu tamen citra culpam praetermitti potest, quia per se vim obligandi non habet.

2. Lex est ordinatio *rationis*. Regula enim ejusmodi sit oportet, ut hominem dirigat in ordinandis mediis ad finem idoneis. Haec autem ordinatio apprime convenit rationi. Cum igitur Lex sit regula humanos dirigens actus, jam liquet, merito eam dici rationis ordinationem.

(1) Hanc sententiam recipit D. Thomas 1. 2. Quaest. 90. art. 1.

3. Lex est ordinatio *in bonum commune promulgata.* Ea namque = nullo privato commodo, sed pro communi utilitate civium conscripta est =: ita Isidorus lib. 5. origin. cap. 21. (1) Non diffitemur quidem, bonum privatum veluti finem proximum Leges nonnunquam respicere; eaeque sunt, quibus e. c. aut vectigalia solvenda jubentur, aut minorum, pupillorum, mulierum securitati consulitur. Ast in bonum commune societatis uti in finem ultimum et ipsas referri nemo sane inficiabit: hisce quippe rite servatis in officio singuli cives continentur, unde ordo in societate, reique publicae salus emergit.

4. Lex *ab eo fertur, qui curam habet communitatis.* Condendae siquidem legis illi tantum jus est, qui personam communitatis gerens jurisdictionis gaudet potestate, qua legi obsistentes, cum opus fuerit, et cogere et corrigere possit. Huic veritati consonat D. Thomae doctrina art. 3. ad 2. dicentis: = persona privata non potest inducere efficaciter ad virtutem: potest enim solum monere; sed si sua monitio non recipiatur, non

(1) Hoc principium admiserunt ethnici quoque philosophi, ac praesertim inter graecos Aristoteles, qui Ethic. lib. 8. cap. 10. ait: — Lex subditorum spectat utilitatem: inter Latinos autem Cicero l. 1. de Leg. asserit leges constituendas esse publicae utilitatis causa. Videatur hac de re D. Thomas loco jam cit. integro art. 2.

habet vim coactivam, quam debet habere lex ad hoc quod efficaciter inducat ad virtutem.... Hanc autem virtutem coactivam habet multitudo, vel persona publica, ad quam pertinet poenas infligere.... et ideo solius ejus est leges facere =.

Hisce animadversionibus dilucide satis inlustrata legis notione, antequam ulterius progrediamur necessarium ducimus praenotandum, vel *generatim* leges perspici posse vel etiam in *specie*. Consulto igitur duabus sectionibus hac prima parte distincta, de legibus tum in genere tum in specie per plura capita disputabimus.

SECTIO PRIMA

DE LEGIBUS IN GENERE.

CAPUT PRIMUM

DE LEGE DIVINA.

§. III.

Supremum rerum Conditorem, qui *in femore scriptum habet*: *Rex regum, et Dominus dominantium* (1) in omnibus imperium

(1) Apocal. 19. 16.

tenere, atque ineffabili providentia cuncta moderari, universae naturae vox est: Creatoris namque ac Servatoris *gloriam enarrant Coeli, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* (1). Haec autem perfectissima ratio, qua regitur orbis, cum in Deo sit, et ab ipso procedat, Lex *divina* appellatur. Divinam legem theologicarum rerum scriptores in *aeternam* distinguunt, *naturalem,* ac *positivam:* qua partitione et a nobis recepta, sit

ARTICULUS PRIMUS

De Lege Aeterna.

§. IV.

Ut *ab illa summa lege capiamus exordium, quae saeculis omnibus ante nata est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino civitas constituta,* (2) naviter perquirendum in primis est, utrum revera existat hujusmodi lex, quidque proprie ejus nomine veniat. Quod ut attingere valeamus, disquisitionem ex notione Entis infinite perfecti sic instituimus. Ens in omnibus infinite perfectum Deus est. Ergo velle nequit, nisi quod ejus convenit attributis. Sed divinis

(1) Ps. 18.
(2) Cic. lib. 1. de Leg. N. 6.

attributis, ac Sapientiae potissimum, quae operatur in *pondere* et *mensura,* apprime convenit, ut in omnibus ordo servetur. Ergo in Deo necessario existit voluntas, ut omnia in fines congruentes ordinentur, in quo consistit ordinis conservatio. Sed haec voluntas Deus ipse est, idcirco immutabilis simul ac aeterna. Existit ergo divina voluntas aeterna et immutabilis ordinis conservationem in omnibus praescribens. Sed haec divina voluntas *lex aeterna* nuncupatur. Ergo existit lex aeterna, quae ideo praeclare ab Augustino definitur lib. 22. contra Faustum cap. 27. = Ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans =. Idipsum tradit S. Doctor lib. 1. de libero arbitrio cap. 6. dicens: = Ut breviter aeternae legis notionem, quae nostrae menti impressa est, quantum valeo verbis explicem, ea est, qua justum est, ut omnia sint ordinatissima. = (1)

§. V.

Verum huic legi, quam existere nuper demonstratum est, subjicitur ne Deus, subji-

(1) Hujusce legis existentiam veteres quoque philosophos, ratione duce, agnovisse Tullius sic plane testatur lib. 2. de Legib. N. 4. — Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi, prohibendique sapientia. Ita prin-

ciuntur ne creaturae omnes sive rationales, sive irrationales? Si de Deo sermo sit, jam tuto defendimus, aeternae legi Eum *proprie* subesse non posse. Lex enim quaelibet, cum sit norma vim habens obligandi, eo superior est, cui obligationem imponit. Deo autem nihil superius: neque lex àeterna ab eo reapse discernitur, cum sit ipsius ratio atque voluntas. Deus ergo aeternae legi proprie non subjacet. Huic conclusioni suffragatur auctoritas D. Thomae 1. 2. Quaest. 93. art. 4. ita scribentis: = ea quae pertinent ad naturam vel essentiam divinam legi aeternae non subduntur, sed sunt realiter ipsa lex aeterna. = *Improprie* tamen Deum hanc sequi legem aliquo vero sensu dicitur, quin divinitatis jura vel minime violentur. Certum quippe est ex necessaria et infinita, qua gaudet, perfectione, adversus naturam suorum attributorum Deum agere non posse: hinc juxta legem aeternam, quae est perfectissima ejus voluntas operetur necesse est. Sin autem de creaturis loquamur, eas omnes aeternae legi subjici, hoc perspicuo citati Doctoris ostenditur argumento. Lex aeterna est ratio divinae gubernationis. Quidquid ergo divinae gubernationi subjectum est a lege aeterna depen-

cipem illam legem, et ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei —.

det. Sed ejusmodi gubernationi creaturae subjectae sunt omnes. Ergo a lege aeterna dependent.

§. VI.

Cum tamen dicimus, aeternae legi cuncta creata subesse, probe adnotamus, non eodem pacto creaturas rationales atque irrationales ab ipsa pendere. Dupliciter namque spectari potest lex aeterna; videlicet quatenus est simpliciter *dirigens*, vel quatenus insuper est *praecipiens*, et *obligans*. Porro lex praeceptiva nequit imponi nisi subjecto, quod praeceptum noscere valeat, ac libere adimplere. Rationales igitur creaturae, utpote quae libero arbitrio donatae seipsas dirigunt in finem, aeternamque legem agnoscunt, eidem ut praecipienti et obliganti subjiciuntur. Quocirca earum actus si boni sint a lege aeterna probantur vel praecipiuntur, quia conformes voluntati Dei, qui summa Bonitas est; si vero mali, ab ipsa prohibentur, quia divinae voluntati necessario adversantes. At contra, irrationales creaturae, cum praecepti et obedientiae capaces non sint, aeternae legi non praecipienti, sed dirigenti subsunt, ac per ipsam ordinantur atque moventur in finem, ad quem conditae fuere. (1)

(1) Creaturas irrationales etiam sensu carentes huic sempi-

§. VII.

Lex aeterna typus et exemplar est, a quo originem ducunt leges humanae juxta illud Proverb. cap. 8. v. 15. 16. = Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt: per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam =. Quibus ex verbis haec duo fluunt consectaria.

Per me principes imperant, inquit Deus loco jam notato. Ergo suprema potestas, quae in humana societate legum condendarum jus habet, a Deo est: idque testatur Paulus ipse ad Rom. cap. 13. Hujusce consectarii ex eo ratio desumitur, quod Deus vult ordinem ejusque conservationem, uti constat ex (§. IV.). Sed finem absque mediis velle nequit Ens Sapientissimum. Deus ergo supremam vult potestatem, qua leges ferantur, veluti medium, sine quo inter homines ordinem servari impossibile omnino est.

ternae legi qnodammodo obtemperare lucnlenter Sariptnrae Sacrae fatentur. Sic regius Vates canit Ps. 148: — Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum... faciunt verbum ejus —. Item Proverbior. auctor cap. 8. Supramum Opificam graphice describit, — quando praaparabat Coalos... ac carta lege vallabat abyssos; quando aethera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum; quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirant fines suos; quando appendebat fundamanta terrae. — Hao in re videantnr Gotti tom. 8. Theol. schol. dogm. tract. de Leg. Quaest. 2. dub. 3., ac praesertim D. Thomas 1. 2. Quaest. 93. artic. 4. 5. et 6.

Et potentes decernunt justitiam. Ergo tamdiu ab aeterna lege manare dicuntur leges humanae, quamdiu ab honestatis tramite non deflectunt: secus si forent injustae, consentaneae non essent incommutabili ac primariae legi, quae totius justitiae fons est, atque mensura. Roboratur haec conclusio Divi Augustini auctoritate asserentis lib. 1. de libero arbitrio cap. 6; = nihil esse in lege temporali justum atque legitimum, quod non ex hac aeterna sibi homines derivarint =. (1)

ARTICULUS SECUNDUS

De Lege Naturali.

§. VIII.

Legem naturalem appellamus = participationem legis aeternae, et impressionem divini luminis in rationali creatura factam, quae illud agendum praescribit, quod intrinsece bonum est, ac per se necessarium ad finem naturae rationalis, illud vero interdicit, quod per se ac intrinsece malum est =.

(1) Leges humanas ab aeterna tamquam ab exemplari procedere ex communi populorum consensu demonstrat Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. Unde fabulosa ethnicorum persuasio, Cretensium, Lacedaemonum, Locrensium, Romanorumque leges Minoem a Jove, Lycurgum ab Apolline delphico, a Minerva Zeleucum, Numam ab Egeria recepisse.

Haec ex D. Thoma 1. 2. Quaest. 91. art. 2., a quo nemo unus theologorum dissentit. (1) Mox traditam definitionem sequentia dilucide explanabunt.

1. Lex naturalis *participatio* dicitur *legis aeternae*. Utriusque igitur praecepta communia erunt, atque ex hoc capite una ab altera non differt.

2. *Divini luminis impressio* est lex naturalis juxta illud Psal. 4. = Signatum est super nos lumen vultus tui Domine =. Quapropter in hoc a legibus positivis lex naturae distinguitur, quod illae nobis ex-

(1) Quam belle pertexerit legis naturalis encomium, quam accurate ejusdem notionem tradiderit philosophus eo magis commendandus, quod in ethnica versaretur superstitione, habemus ex Lactantio Firmiano divin. Institut. lib. 6. De vero cultu cap. 8. de erroribus philosophorum, ac varietate legum dicente: — Suscipienda igitur Dei lex est... illa sancta, illa coelestis, quam M. Tullius in libro de Repub. tertio pene divina voce depinxit; cujus ego, ne plura dicerem, verba subjeci. — Est quidem vera lex, recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna; quae vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat: quae tamen neque probos frustra jubet, aut vetat; nec improbos jubendo, aut vetando movet. Huic legi, nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Neque vero aut per Senatum aut per populum solvi hac lege possumus. Neque est quaerendus explanator, aut interpres ejus alius. Nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac: sed et omnes gentes, et omni tempore una lex, et sempiterna, et immutabilis continebit; unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus, ille legis hujus inventor, disceptator, lator: cuique non parebit... hoc ipso luet maximas poenas, etiamsi cetera supplicia, quae putantur, effugerit. —

trinsecae omnino sint; ista vero in mentibus hominum sit insculpta. Maximum hocce discrimen D. Ambrosius innuit Ep. 73. de lege naturali dicens: = ea lex non scribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturae fonte in singulis exprimitur.... cujus testis conscientia nostra. =

3. Hujusmodi impressio facta est in *rationali creatura*. Ergo naturae legi proprie non subjacent creaturae rationis expertes.

4. Lege naturali praescribitur quod *intrinsece bonum* est; contra, quidquid est *intrinsece malum* prohibetur. Exinde apparet, bonitatem, vel malitiam in objectum per eam non induci, sed illud ideo praecipi aut vetari, quia de se bonum vel malum est.

5. Bonum, quod jubet lex naturalis, necessarium ad naturae rationalis finem sit oportet. Unde non de omnibus generatim, quae honesta sunt hujusce legis extat praeceptum, sed de iis tantum, quorum omissio naturam dedecet rationalem.

§. IX.

Inter ethnicos legem naturalem non agnoverunt Aristippus, Theodorus, Democritus, Pirro, Diogenes, Archelaus, Athei, et Epicurei omnes, quibus sententia placuit Venusini Poetae canentis lib. 1. sat. 3.

Nec natura potest justo secernere iniquum:
Sola est utilitas justi prope mater et aequi (1).

Turpissime quoque circa naturae legem increduli recentiores ac pseudo-politici nonnulli allucinantur. Horum antesignanus Thomas Hobbesius in elementis philosophicis de cive ita scribit cap. 1. §. 10. = Natura dedit unicuique jus in omnia, hoc est, in statu mere naturali, sive antequam homines ullis pactis se se invicem obstrinxissent, unicuique licebat facere quaecumque, et in quoscumque libebat, et possidere, uti, frui omnibus, quae volebat et poterat... Ex quo etiam intelligitur in statu naturae mensuram juris esse utilitatem =. Addit insuper cap. 12. §. 1. = Ante imperia justum et injustum non extitere... actioque omnis sua natura adiaphora est =. En sacra genesis hominis in impio Hobbesii opere descripta. Cujus vestigia fidissime sectantur Benedictus Spinosa in tract. theolog. polit., et Nicolaus Machiavellus sermonib. in 1. decad. Titi Livii cap. 2. Item homines primitus exleges finxerunt Montagnius in suis speciminib. t. 2. cap. 12., et Roussojus, qui in Emil. tom. 1. homines in statu quodam naturali depingit more pecudum silvestres,

(1) Quoad veteres philosophos id potissimum eruitur ex iis quae tradit Plato lib. 11. de Repub. et lib. 10. de Legib.

docetque amorem sui primum fore juris naturalis principium. Eadem prorsus concinunt Helvetius, et auctor systhematis socialis, ceterique generatim, qui cum vate nuper citato existimant *jura inventa metu injusti* (1).

§. X.

Legem, quam super (§. VIII.) definivimus, naturaliter nobis insitam esse Apostolus Paulus hisce verbis perspicue declarat Ep. ad Roman. cap. 2. v. 14. 15. = Cum gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus =. Hoc unum Scripturae oraculum satis est, ut de legis naturalis existentia sibi suadeant, qui divinae auctoritati praestant obsequium. At quoniam revelationi supernae increduli non acquiescunt, rationum adjiciantur momenta,

(1) Absurda incredulorum deliria adversus legem naturalem exponunt, atque refellunt Tamagna Institut. philosophic. t. 2. part. 6. de lege naturali cap. 1; Scardua *Lezioni di Metafisica t. 2. part.* 3. *Lez.* 2. e 3; ac praesertim Valsecchius *Fondamenti della Religione lib.* 1. *cap.* 7., *lib.* 3. *part.* 1. *cap.* 4. *Religione Vincitrice part.* 2.

quibus ipsa veritas invicte firmatur. Esto itaque

Argumentum 1. Lex aeterna existit (§. IV.) Ergo existit lex naturalis. Antecedens inter et consequens nexus probatur. Posita legis aeternae existentia, huic tamquam praecipienti homo subjicitur (§. VI). Eidem ergo parere tenetur. Sed nemo ad incognita adstringi potest. Homo igitur aeternam legem agnoscit. Verum haec cognitio in homine habetur per lumen rationis sibi a Deo elargitum: eo quippe monemur, Ens infinite perfectum necessario, atque immutabiliter velle ordinis custodiam. Ergo rationis lumen homini tribuendo Deus legem aeternam ipsi manifestavit. Sed legis aeternae promulgatio seu participatio per lumen rationis homini facta lex naturalis nuncupatur (§. VIII.) Ergo lex naturalis existit.

Argumentum 2. Humanae leges sunt veluti fundamentum, cui status socialis innititur: mutuae conventiones totidem sunt vincula, quibus homines in societate colligantur. At, lege naturae sublata, inanes forent humanae leges, conventiones nullae: non enim constaret cur leges sint custodiendae, cur pacta servanda. Ergo lege naturali non extante, neque humana societas consisteret. Sed ab orbe condito jam semper extitit humana societas. Ergo lex naturalis existit.

Argumentum 3. Ex intimo omnium sensu exploratum est, quemque uti recte factum probare quod rationi, quod naturae humanae consentaneum apparet: id autem quod utrique adversatur ceu malum universim reprehendi. = Quae enim, inquit Tullius lib. 1. de Legib. N. 11. quae natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum, et beneficii memorem diligit? Quae superbos, quae maleficos, quae crudeles, quae ingratos non aspernatur, non odit? = Atqui certe id contingit ex quadam naturae voce, qua cuncti docemur, *bonum esse prosequendum, malum vitandum:* quod principium immediate proficiscitur ab aeterna lege in omnibus ordinem servari jubente. Communis igitur hominum propensio in id, quod per se bonum est, utpote rationali creaturae conforme, praecepta legis aeternae naturaliter nobis communicata apertissime demonstrat.

Argumentum 4. Si vitam honeste quis transigat, si egenti conferat opem, si justitiam sequatur, si virtutes qualescumque colat, maxima jucunditate perfunditur. Contra, scelere admisso, conscientiae morsibus animus nocentis torquetur, quos interdum si non patiatur, aberrasse tamen vel invitus agnoscit; ideo latebris crimen is obtegere nititur, minuere, excusare, si possit.

Verum affectiones hujusmodi in homine non exurgerent, si insculpta in eo non esset lex naturalis, quae bonum approbat, malum interdicit. Rursus ergo adversus incredulos, duce tantum ratione, naturae legem inditam homini fuisse indubitanter asserimus. (1)

§. XI.

Verum hic audacter in legem naturalem Montagnius insurgit, atque in opere jam citato (§. IX.) primum eos irridet philosophos, qui ad leges roborandas contendunt quaedam haberi principia perpetua, immutabilia, ac in hominum mentibus impressa, quae leges naturales appellant. Hi vero, subdit, in iisdem legibus tradendis inter se non conveniunt, cum numero plures alii recenseant, minores alii. Inde concludit, de tota lege naturali dubitandum. Pergit autem:

(1) Adversariis opponi quoque possent, non quidem Ambrosii, Augustini, ceterorumque SS. Patrum, quas parvi faciunt sententiae; sed gentilium philosophorum auctoritates, qui sane rectius quam Roussojus et Helvetius de lege naturali scripserunt. Praeter ea, quae tradidit lib. de Rep., prouti adnotavimus (§. VIII.), Cicero in oratione pro Milone de jure disserens, quo vim vi repellere cuique fas est, sic ait N. 4. — Est igitur haec non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus —. Accedit Seneca Ep. 65. ad Lucilium dicens: — Est ergo a Deo tamquam auctore naturae impressum, inditumque cordibus nostris, per quod secundum dictamen rationis practicae actus humanos liberos ad bonum justumque dirigimus —.

hujusmodi leges adeo infelices sunt, ut nulla prorsus earum extet, cui non contradicatur. Ergo lex naturalis non existit: nam quod a natura constitutum est, id omnes unanimi consensione recipiunt. Haec, quae ad jus naturae evertendum ineptissime procudit Montagnius, ad duo capita cum revocentur sic brevi ad utrumque reponimus.

1. Philosophorum dissidium circa numerum praeceptorum legis naturalis facile componitur, si consideremus, eum, qui tria e. c. admittit praecepta, quartum, aut cetera plura veluti implicite in tribus jam positis contenta non excludere: hinc ea, quae praeterit non denegat, sed alterum potius ab altero non secernit. Non ergo inter philosophos haec reperitur pugna, quam fidenter nimis jactat adversarius. At cum eo ut indulgenter agamus: esto etiam hujusmodi pugna. Quid tum inde? Ea de causa si deducendum foret legem naturalem non existere, aeque inferendum pariter, nullum adesse vitium, nullamque virtutem, quia in utrisque numerandis non consentiunt philosophi. Quam vero absurda sit haec argumentandi ratio, jam uno intuitu quisque percipere valet.

2. Neque mirum est, naturae legis praecepta contradictionibus infeliciter oppugnari. Tantum potuit humanae mentis arrogan-

tia, ut non modo legem, sed et legis auctorem, Deum, impetere ausi sint plures. Hac autem contradictione posita, ergo ne fortasse actum est de legis naturalis existentia? Minime gentium. Si namque ea cuncta, quibus jure, vel injuria contradici potest, repudianda forent, jam tum ad pyrrhonistarum agmen accedere oporteret. Ceterum, ut quid ponderis habeat difficultas ex eo illata, quod plerique legis naturalis praecepta non recipiant, necessum est in primis ostendere, eosdem legem naturalem non agnoscere, immo nec agnoscere posse: probandum est ulterius rationis lumen vel cupiditatibus, vel ignorantia culpabili obtenebratum in iis non fuisse: postremo constare debet, conscientiae stimulos non consequi legis transgressionem. Quae tria cum nemo quidem valeat demonstrare, fundamento caret oppositio, ac omnino diluitur. Sed incredulorum nugas praetermittamus.

§. XII.

Legis naturalis existentia satis firmiter commonstrata, age nunc procedamus ad ejus enucleandas proprietates, quae sunt *Evidentia, Conformitas cum natura humana, Universalitas, Indeficientia,* atque *Immutabilitas.* De singulis cursim.

1. Evidens est lex naturalis quoad prima,

et universalia principia: haec enim adeo per se conspicua sunt, ut nemini non innotescant. Hinc merito D. Augustinus lib. 2. de libero arbitrio cap. 10. ait: = eadem esse tamquam regulas et quaedam lumina virtutum et vera et incommutabilia, et sive singula, sive omnia adesse ad contemplandum eis, qui haec valent sua quisque mente ac ratione conspicere =.

2. Lex naturalis conformis est humanae naturae. Secus namque si vel uno ex capite eidem repugnaret, legi quoque adversaretur aeternae conservationem ordinis, ac propterea quidquid naturae humanae consentaneum est praecipienti (§. IV.) Atqui aeternae legi nequit opponi lex naturalis; haec quippe est ipsamet lex aeterna homini communicata (§. VIII.) Dicendum ergo, legem naturalem in omnibus humanae naturae penitus convenire.

3. Universalitate insuper gaudet lex naturalis, quatenus omnes homines ratione praeditos indiscriminatim obstringit. Neminem prorsus ab ejus vinculo immunem existere manifestum est, cum per rationis lumen cuique attributum lex naturalis fuerit quodammodo promulgata. Unde consequitur, legem hujusmodi omnes universim obligare, perinde ac subjectos devincit supremae potestatis humanae voluntas sufficienter expressa.

4. Indeficiens etiam, seu indelebilis quoad *prima, et universalia principia* lex naturalis ostenditur. Indubium siquidem est juris naturae principia: *declina a malo, fac bonum: quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris;* ceteraque id generis ita in *moralibus* se habere, ut in *speculativis* haec alia: *Totum majus est qualibet sui parte: quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* At fieri non potest, ut prima, et universalia principia in speculativis a mente hominum deleantur. Ergo neque in moralibus. In id consentit apprime Tertullianus lib. de anima cap. 41. dicens: = Lex naturalis potest obumbrari, quia Deus non est: extingui non potest, quia a Deo est =. Huic doctrinae suffragatur auctoritas D. Augustini, cujus en verba: = Furtum certe punit lex tua, Domine, et lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas = lib. 2. confess. cap. 4. Idem quoque tradit Angelicus Doctor 1. 2. Quaest. 94. art. 4. ad 6., qui tamen probe demonstrat, *quoad usum, in particulari* scilicet *operabili* haec ipsa principia quandoque posse deleri. Etenim quamvis nulli hominum lateat, malum esse devitandum, bonum prosequendum, nihilosecius ex concupiscentiis, pravisque consuetudinibus nonnumquam contingit; illud bonum videri, quod reapse malum est: quem-

admodum et in speculativis in errorem tum labimur, cum principia jam clare perspecta rite non adhibeamus. Quod vero attinet ad ea juris naturae praecepta, quae secundaria vocantur, haec interdum in homine deleri posse eodem loco art. 6. citatus Doctor hoc pacto fatetur: = Quantum vero ad alia praecepta secundaria, potest lex naturalis deleri in cordibus hominum vel propter malas persuasiones,... vel etiam propter pravas consuetudines, et habitus corruptos, sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam =.

5. Demum legi naturali necessario convenit immutabilitas. Lex quippe naturalis est legis aeternae participatio (§. VIII.): conformitatem insuper habet cum natura humana (hic N. 2.) Sed immutabilis est tum lex Dei aeterna (§. IV.) tum etiam hominum natura; *nam quod naturae est, nulla est mutabile causa* (1). Lex igitur naturalis immutabilis est.

§. XIII.

Adversus proprietatem, quam juri naturali postremo loco attribuimus nonnulla pugnare videntur, quae sic in unum colligimus, quempiam effingentes nobis hac ratione objectantem.

(1) Card. Polignac Anti-Lucretio lib. 14.

Divina simul ac humana auctoritate legem naturalem immutatam fuisse, jam in comperto est apud omnes. Sed ab esse ad posse valet semper illatio. Ergo lex naturalis immutabilis non est. Major propositio pluribus firmatur.

1. Praecepto juris naturalis interdicitur homicidium. At nonne jussit Deus, ut Abraham unigenitum Isaac in holocaustum offerret? (1) Huic igitur praecepto divinitus derogatum est.

2. Jus naturale fornicationem vetat. Deus tamen Hosee dixit: *Sume tibi uxorem fornicationum, et fac tibi filios fornicationum* (2).

3. Juri naturali furtum adversatur. Nihilosecius filios Israel impulit Deus ad Aegyptiorum divitias fraude surripiendas (3).

4. Foenus item non licet jure naturae, cum sit quaedam furti species. Illud autem hebraeis permissum fuisse testantur Deuteronomii verba: *Non foeneraberis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno* (4).

5. Divina pariter auctoritate veteribus Patriarchis, populoque fideli universim polygamiam legimus concessam; imo et repu-

(1) Geneseos cap. 22. v. 2.
(2) Hosee cap. 1. v. 2.
(3) Exodi cap. 11. v. 2. 35.
(4) Deuteronomii cap. 23. v. 19.

dium, quo conjugii vinculum penitus dirimebatur (1). Utrumque porro naturae legi repugnare, quis, quaeso, inficiari valebit?

6. Mendacium quoque probavit Deus: nam obstetricibus Aegyptiorum propitius fuit, eisque plura retribuit, quia mentientes hebraeorum infantibus vitam servarunt (2).

7. Tandem communis omnium possessio, ac perfecta libertas est de jure naturae (3): contractus, solemnitate qualibet praetermissa, validi sunt: itidem nefas est rem alienam, invito domino retinere. Hisce vero legis naturalis principiis jus gentium refragatur: hoc enim inducta fuit bonorum divisio; humana circumscripta libertas; beneficium praescriptionis inventum, quo, domino reluctante, aliena retinere licet; solemnitates demum constitutae, quibus si careant plures contractus, irriti evadunt (4).

Cum itaque ex traditis pateat, non semel divina, humanaque auctoritate juris naturae praeceptis derogatum fuisse, jam inde consequitur, immutabilitatem huic juri convenire non posse.

(1) Ibidem cap. 24. v. 1.
(2) Exodi cap. 1. v. 20. 21.
(3) D. Isidorus lib. 5. origin. cap. 4.
(4) Adversus immutabilitatem juris naturalis haec eadem consarcinavit Samuel Coccejus Dissert. proaem. in Grotium Dissert. 1. cap. 1. sect. 3. §. LXI.

§. XIV.

Haec sunt praecipua eorum objecta, qui legis naturalis firmitatem labefactare adnituntur. Ad quae convellenda circa legum mutationem nonnulla praemittimus. Duplici pacto mutatio legis generatim inspectae contingere potest. Immutari lex dicitur *proprie*, si ea cesset per se, vel etiam si a legitima auctoritate per abrogationem, derogationem, aut dispensationem auferatur. *Improprie* fit legis mutatio, si quaedam superaddantur ab illa pridem nec vetita nec praecepta. Animadvertendum quoque, aliud praeceptum fore legis naturae *absolutum*, aliud *conditionatum*. Primo interdicitur idolorum cultus, perjurium, blasphemia, ac cetera ejusmodi, quae cum intrinsece mala sint, nulla prorsus ratione honestantur. Alterum circa objectum, seu materiam versatur, quae ob circumstantias adjectas adeo variari potest, ut legi non amplius subjiciatur. Tale est praeceptum debiti solvendi, fideique in contractibus servandae, quod tum solum obligandi vim habet, cum uterque contrahens non renuntiet mutuo consensu pactionem, aut creditor debitum non remittat. Distinctionibus hisce praenotatis, argumenta ad oppugnandam legis naturalis immutabilitatem e Sacris Literis praesertim adscita singulatim persequamur.

Ad 1. igitur brevi reponimus in Abrahae sacrificio verae ac propriae mutationis praecepti *non occides* ne vestigium quidem reperiri. Eo siquidem praecepto, quod conditionatum est, homicidium injustum prohibetur; illud nempe, quod privata fit auctoritate, rectaeque rationi contradicit. Verum si juxta rectam rationem, si publica, vel divina auctoritate quis interficiatur, culpa caret homicidium, nec legi naturali adversatur. Id autem cur? Non sane quia immutetur lex, quae semper in suo robore manet, sed propter mutationem materiae, quae ex accedentibus circumstantiis ipsi legi subducitur. Cum itaque Abraham filium interfecturus nutui obtemperaret imperantis Dei, qui *mortificat* et *vivificat*, licite in puerum manum extendere poterat, non quod juri naturae homicidium vetanti derogatum esset, sed quia obsecundare tenebatur ipsi legi naturali, quae fidelem divinis mandatis obedientiam indicit (1).

Ad 2. Praecepto juris naturae absoluto,

(1) Hac de causa D. Augustinus eundem Patriarcham ita perlandat lib. 22. contra Faustum cap. 73. -- Quaedam facta lex aeterna, quae ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat, medio quodam loco posuit hominibus, ut in eis usurpandis merito reprehendatur audacia, in exequendis autem obedientia jure laudetur. Tantum interest in ordine naturali quid a quo agatur, et sub quo quisquam agat. Abraham si sponte filium immolaret, quid nisi horribilis, et insanus? Deo autem jubente, quid nisi fidelis, et devotus apparuit? --

quo fornicatio utpote intrinsece mala interdicitur, Deum derogare non posse, ratio ipsa naturalis evincit. Quod vero non derogaverit Hosee loco superius allato, prorsum in aprico est, si cum hebraico textu, cui et apprime convenit versio septuagintaviralis, vulgata conferatur. Textus ibidem ait: *cac- lecà escet zenunim, vejaldè zenunim:* quod ad literam vertitur: *accipe tibi uxorem fornicationum, et natos fornicationum.* Unde perspicuum est, nil aliud Deum jussisse Prophetae, quam uxorem ducere mulierem, quae antea meretrix fuerat, ejusque liberos pro filiis adoptare. Alia quoque ratione difficultatem explanant Hieronymus in cap. 1. Hosee, et Augustinus eodem libro cap. 80; cum existiment prophetae divinitus injunctum fuisse, ut muliere jam fornicaria honesto sibi copulata conjugio, ex ea sobolem procrearet. Nec obstat huic interpretationi, quod filii ex connubio legitimo suscepti tum in vulgata, tum in textu originali *filii fornicationis* nuncupentur. Ita namque jure vocari poterant, non quia legitimi non forent, sed ob anteacta flagitia, turpemque matris conditionem. Hunc autem improprium loquendi modum a Scripturis Sacris alienum non esse pluribus demonstratur. Sic, ut cetera mittamus, in Exodo cap. 7. v. 12. virga Moysis etiam in anguem con-

versa virgae nomine appellatur: in Evangelio Joannis cap. 6. v. 52. Christi Corpus dicitur panis: caecus ibidem cap. 9. v. 17. ille vocatur, cui divinus Servator visum concesserat. Utrovis porro sensu explicetur, de quo disseritur, praeceptum, ex eo nunquam inferri poterit adversus legis naturalis immutabilitatem argumentum (1).

Ad 3. Cum Deus populo Israel jusserit Exodi cap. 11. Aegyptiorum bona surripere, horum dominium utpote Supremus omnium Largitor ad judaeos transtulerat. Non ergo furtum praecepit: nec judaei aliena abstulerunt, sed propria sibi vindicarunt. Addendum etiam, Hebraeos ea cuncta licite comparare potuisse, tum jure belli, cum de hostibus ageretur; tum jure debitae compensationis pro fraudata mercede, pro injusta servitute, pro diris laboribus quibus diutissime eos vexaverant Aegyptii. (2)

(1) Nonnullis interpretibus, judaeis praesertim Abenezra et Kimchi monstrosum adeo visum est Hosee conjugium, ut non historiam, sed parabolam potius, aut visionem hic referri arbitrentur. At non est, cur litera deseratur, cum narrationis series omnino suadeat, verum evenisse connubium. Tantum vero abest, ut in eo minus congruens quid reperiatur atque indecorum, ut sensu tropologico in muliere, de qua scribit Hosee, Samaria designatur, quae, divino cultu abjecto, ethnicorum se se tradiderat superstitioni, cui saepenumero in sacris libris fornicatio comparatur. Quinimmo concorditer Patres ibi typum agnoscunt, quo praenuntiatur post Messiae adventum gentium cum Ecclesia per Fidei et Caritatis vinculum futura conjunctio.

(2) In id consentit D. Augustinus l. 2. Quaest. in Exod.

Ad 4. Deum derogasse legi naturali, qua foenus prohibetur absurde deducitur ex Deuteronomii cap. 23, ubi usura permittitur ab alienis exigenda. Alieni siquidem esse videbantur populi, qui terram Chanaan injuste occupabant, in quos ex divino mandato Filii Israel bellum gerere debebant, quosque idcirco, bonis expoliare poterant, captivos dncere, interficere, si vellent. Cum igitur alienorum vitam et opes in manibus judaeorum Dominus tradidisset, ab eis aliquid foenerari poterant judaei, quin legi natnrali adversarentur. Ita censet Ambrosius lib. de Tobia cap. 15. Rem secus explicat Angelicus Doctor cum judaeorum usuram a culpa non excuset, eamque existimet non a Deo, sed a Moyse tantummodo admissam, uti minus malum, ad deterius vitandum. En ipsins verba 2. 2. Quaest. 78. art. 1. ad 2. = Quod autem ab extraneis usuram acciperent (judaei), non fuit eis concessum quasi licitum, sed permissum ad majus malum vitandum: ne scilicet a judaeis Deum colentibus usu-

Quaest. 39. dicens: — Nec Israelitae furtum fecerunt; sed Deo jubenti ministerium praebuerunt — et lib. 22. contra Faust. cap. 71. — Aegyptii vero sacrilegi, et iniqui; nam et auro illo, hoc est Dei creatura, male utentes ad creatoris injuriam suis idolis serviebant, et homines peregrinos labore gratuito injuste, ac vehementer afflixerant: digni ergo erant et isti, qnibus talia juberentur, et illi qui talia paterentur — . Vide D. Thomam in 3. senten. distinct. 34. Quaest. 1. art. 4. ad 3.

ras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant =.

Ad 5. Uxorum pluralitas quoad prima saltem principia juri naturali absolute non obstat; ea quippe non impediuntur primarii conjugii fines, qui sunt susceptio prolis, ejusque educatio: impedit tamen ejus finem secundarium, hoc est familiae ordinem, ac pacem; ideo naturae legi adversatur quoad principia secundaria, quae quasi conclusiones a primis praeceptis derivantur. Cum autem priscis temporibus, ac praesertim post aquarum diluvium opus esset, ut multiplicarentur homines, terramque replerent, ad hunc finem Patriarchis licita erat polygamia. Iis etenim in circumstantiis lex naturalis de unitate uxoris obligare non poterat, quia tum haec unitas, cum necessariae humani generis adversaretur propagationi, ejusdem legis materia non erat. Quocirca perspicuum est, divinam dispensationem heic locum non habuisse (1). Altera difficultas, quam praesefert judaeorum repudium, ex Evangelio Matthaei penitus eliminatur. Ibi namque cap. 19. v. 6. 7. 8. Christus ait: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* En praece-

(1) Hac de re consulantur prae ceteris D. Thomas in 4. sent. dist. 3. Quaest. 1. art. 1., Cardin. Gotti theol. scholast. dogm. tom. 8. de legib. Quaest. 3; Gabriel Antoine tract. de legib. sect. 2. Quaest. 5; Bergerius de vera Religione tom. 4. cap. 11. art. 2.

ptum legis naturalis de connubio non dissolvendo. Sed urgent pharisaei: *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere?* Quibus respondet: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic*. Repudium igitur non jussit Deus, non ut honestum probavit; sed illud tantum indulgenter, ut graviora crimina evaderet, Moyses toleravit.

Ad 6. In iis, quae narrantur Exodi cap. 1. de mulieribus Aegyptiorum, actus pietatis, quem illae erga hebraeos exercuerunt a mendacio distinguendus est, quo factum regi subinde occultarunt. Hasce vero Deus remuneravit. Cur autem? *Quia timuerunt obstetrices Deum, aedificavit eis domos:* ibid. v. 21. At quomodo Deum timuerunt? Non quidem mentiendo, sed maribus hebraeorum Pharaonis jussu praefocandis misericorditer vitam servando (1).

Ad 7. Tandem audire juvat Angelicum Doctorem, qui 1. 2. Quaest. 94. art. 5. ad 3. ait: = Aliquid dicitur esse de jure naturae dupliciter: uno modo, quia ad hoc natura

(1) Huic resolutioni verba consonant Augustini Quaest. 1. in Exodum dicentis: — Aliud faciebant obstetrices vivificando infantes parvulos, aliud Pharaoni mentiendo. In illis vivificandis opus misericordiae fuit: mendacio vero illo pro se utebantur, ne noceret illis Pharao; quod potuit, non ad laudem, sed ad veniam pertinere. —

inclinat, sicuti non esse injuriam alteri faciendam, altero modo, quia natura non inducit contrarium... Et hoc modo *communis omnium possessio, et una libertas* dicitur esse de jure naturali, quia scilicet distinctio possessionum, et servitus non sunt inductae a natura, sed per hominum rationem ad utilitatem humanae vitae; et sic etiam in hoc lex naturae non est mutata, nisi per additionem =. Hactenus D. Thomas, cujus doctrinae inhaerentes hoc pacto reponimus. Si de bonorum communione sermo sit, ultro damus permissam eam fore jure naturae: attamen praecepta non est: ideo nec vetita bonorum divisio. Haec igitur, inviolata lege naturali, jure gentium poterat induci. Immo ad incommoda plurima avertenda, quae procul dubio a communione bonorum exorta fuissent, ipsi legi naturali erat hujusmodi rerum partitio summopere consentanea. Item quamvis in statu naturali homo liber sit, nihilosecius non prohibet jus naturae quominus haec facultas, homine in civili statu constituto, per leges humanas limitibus quodammodo coerceatur. Ita namque malis occurritur, quae ab illimitatae libertatis abusu dimanarent, ac facilius ordo socialis servatur, quem ipsamet lex naturalis jubet custodiendum. Concedimus praeterea nefas esse, rem alienam, quamdiu aliena est, invi-

to domino, retinere. Verum, translato jure gentium vi legitimae praescriptionis dominio, cum res ad eum pertineat, cui favet praescriptio, legis naturalis praeceptum in sua firmitate consistit. Solemnitates demum, quas ad contractuum valorem leges humanae requirunt, non utique jure naturae praecipiuntur, sed neque vetantur. Huic ergo earum additione minime derogatum est. Quin potius et communi bono hoc ex capite consuluisse jus gentium, et legi naturali praesidium attulisse nemo est, qui non videat, cum per inductas solemnitates cautum fuerit, ne temere fierent contractus, atque in iis ineundis fraudes intercederent.

Ex hisce, quae hactenus edisseruimus tota difficultas praeced. (§. XIII.) fuse propoposita jam penitus evanescit. Unde sic jure concludimus. Nihil inferri potest adversus immutabilitatem legis naturalis ex auctoritate divina, vel humana, si immutatio in traditis exemplis *improprie* tantum evenerit, scilicet per additionem, vel etiam quoad praecepta *conditionata* per materiae mutationem. Atqui id contigisse ex demonstratis elucet. Adhuc ergo manet immota veritas, quam superius (§. XII. N. 5.) duplici ratione firmavimus.

§. XV.

Legis naturalis varia simul ac plura fore praecepta in confesso est apud omnes: primum, adaequatum ac fundamentale hujusce legis extare principium, in hoc item omnes conveniunt: verum si perquiratur, quale illud sit, non eadem consensio. At nos, qui veritati, quo fieri possit, accedere conamur, in re tam gravi sequens, ratione duce, instituamus examen. Quoniam lex naturalis ab aeterna promanat ordinis custodiam praecipiente, inter illius principia hoc sane refertur: *Ordo naturalis servandus est*. Quo posito, tria haec animadvertenda censemus.

1. Exquirit ordo naturae, ut homo finem sibi proprium, hoc est beatitudinem attingere studeat. Sed finis hujusmodi solus Deus est (Institut. lib. I. pag. 147). Ordo igitur naturae postulat, ut Deum prosequamur. Verum id fieri nequit nisi per amorem, obseqium, ac servitutem: quae cuncta Deo utpote Summo Bono, Creatori, Conservatori, rerumque omnium Domino conveniunt. Ergo, ne violetur ordo naturalis, Deo rependere quisque debet amorem, obsequium ac servitutem. Sed quaelibet erga Supremum Numen officia in hisce tribus continentur. Omnia igitur officia, quae hominem Deo

devinciunt ab hoo procedunt principio: *Ordo naturalis servetur.*

2. Ipsemet ordo jubet quidquid a natura constitutum est. Sed amorem sui indidit cuique natura. Ergo ad naturalem ordinem servandum homo seipsum diligere tenetur. Haec autem dilectio in eo non est, qui semet conservare, ac perficere negligit. Ergo conservatio, ac perfectio sui ad naturalis ordinis pertinet custodiam.

3. Duplici conservationis ac perfectionis muneri ut homo fungatur, ob fere innumeras hujusce vitae necessitates aliorum indiget ope, ac mutua societate (1). Sed mutua societas absque mutuo amore consistere nequit. Quemadmodum ergo naturalis ordo sui amorem, ita et aliorum praecipit dile-

(1) Societatis necessitatem ad hominem conservandum ac perficiendum aptissime hisce verbis Seueca describit de beneficiis lib. 4. cap. 18. — Quo alio tuti sumus quam quod mutuis juvamur officiis? Hoc uno instruotior vita, contraque incursiones subitas munitior est, beneficiorum commercio. Fac nos singulos, quid sumus? praeda animalium, et victimae, ac vilissimus et facillimus sanguis. Quoniam ceteris animalibus in tutelam sui satis virium est; quaeoumque vaga nascuntur, et aotura vitam segregem armata sunt. Hominem imbecillitas cingit: non unguium vis, non dentium terribilem ceteris facit: nudum, et infirmum societas munit... Societas illi domininm omninm animalium dedit; societas terris genitum in alienae naturae transmisit imperium, et dominari etiam in mari jussit. Haec morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolorem dedit, haec fortes nos facit, quod licet contra fortunam advocare. Hanc tolle, et unitatem generis humani, qua vita sustinetur, scindes —.

ctionem. Verum cetera erga homines officia a dilectione dimanant. Ea igitur omnia complectitur ordo naturalis.

Quae cum ita sint, jam compertum habemus officia erga Deum, erga se, erga ceteros ab homine explenda in ordinis naturalis custodia penitus comprehendi, atque ab eo veluti a fonte cuncta profluere. Jam vero, illud rationem habet *primi, adaequati, universalis* totius legis naturae principii, a quo omnia cujusque generis procedunt hominis officia. In eo igitur principio, quo conservatio naturalis ordinis praecipitur, *primum, adaequatum, universale* juris naturae principium merito constituitur.

§. XVI.

Hisce demonstratis, tamquam per legitimum consectarium deducimus, oppido allucinari nonnullos inter acatholicos jurisprudentiae scriptores, cum in principio vel absurdo, vel inadaequato saltem legis naturalis fundamentum reponant. Quod ut manifestum evadat, singulae, ac praecipuae eorum opiniones in lucem proferantur.

1. Grotius *de jure belli et pacis* statuit potissimum *in socialitate* legis naturalis fundamentum. Huic Puffendorfius adhaeret, qui *de officio hominis, et civis* lib. 1. cap. 3. §. 9. sic ait: = En lex juris naturae fundamentalis:

cuilibet homini, quantum in se est, colenda, ac servanda societas. Unde consequitur, illud habendum esse generatim jure naturae praeceptum quod bono societatis convenit humanae; illud contra vetitum quod ipsi adversatur =. Hanc vero sententiam omnino improbamus: quamvis enim socialitatem tum legi naturali conformem, tum homini penitus necessariam fateamur; aeque tamen contendimus ipsius legis fundamentum in ea sistere non posse. Hujusmodi namque principium non omnia officiorum genera comprehendit; non cultum Dei; non sui custodiam ac perfectionem; non internos virtutum actus, nec alia plura, quae indubitanter ad legem naturalem potissimum referuntur. Cum itaque officia hominis erga Deum, erga seipsum praetermittantur in socialitatis principio, jam patet inadaequatum hoc esse, et maxime deficiens.

2. Aliud fundamentale principium legis naturalis tradit Christianus Thomasius in *Fundamentis Juris naturae et gentium* lib. 1. cap. 6., illudque sequenti propositione concludit: = Facienda sunt quae vitam humanam reddunt et maxime diuturnam et felicissimam: vitanda pariter quae vitam reddunt infelicem, et mortem accelerant — (1).

(1) Hoc ipsum systhema apertis ulnis Fleischerius amplecti-

Felicissima porro vita, de qua hic disserit Thomasius ea est, = quae simul maximam laudem meretur, et suavissime transigitur, et omnium rerum sufficientia praedita est =: addit tamen: = nullam esse veram suavitatem vitae, nisi honestam; nullam vitam laudes mereri, nisi decoram; nullam vera sufficientia frui, nisi justam =. Quamvis per haec posteriora verba citatus scriptor ethiopem dealbare conetur, eum nihilominus ab impuris epicureorum fontibus suam hausisse doctrinam evidens omnino est. Hinc non modo inadaequatum, sed et absurdum et impium est Thomasianum principium, cum nil aliud, quam propriam utilitatem voluptatemque prospiciat (1).

3. Non absimili de causa alterum juris naturae fundamentale principium repudiamus, quod in *amore sui* constituunt post Hobbesium et Spinosam Roussojus, Helvetius, et auctor systhematis socialis, de quibus nonnulla diximus (§. IX.). Posito enim hoc principio fundamentali, quo cetera erga Deum, erga homines officia vel seclusa manent, vel saltem ab hisce pseudo-politicis in-

tur, Institut. Juris nat. et gent. atque in pravum sensum turpiter deflectit plurima Evangeliorum loca, quae ejus errori adversantur.

(1) Facilis inter doctrinam Thomasii et Epicureorum deliria institui poterit comparatio ex iis, quae Tullius lib. 1. de Finibus dilucide exponit.

credulis tum tantum admittuntur cum nobis pariant utilitatem, sponte consequeretur, bonum sibi utile cuique prosequi fas esse ex lege naturae, quamvis illud vel Divinitatis jura lacesseret, vel hominibus quomodocumque detrimentum afferret. Quo nil sane deterius. Contra siquidem lex ipsa naturae clamat, jubetque rectam rationem *amorem sui* adeo in homine moderari, ut, propria etiam, si opus fuerit, posthabita utilitatè, talis ordo servetur, quo Deus cuilibet creaturae, bono utili honestum, publicum privato anteferatur.

4. Ad veritatem propius accedere nobis videntur Cumberlandus et Heineccius, quorum prior in *disquisitione philosophica de legibus naturae* fundamentum legum omnium naturalium *in mutuo amore entium rationabilium* agnoscit: alter vero in *elementis juris naturae* lib. 1. cap. 3. triplex in hoc ipso amore fundamentum distinguit, scilicet *dilectionem Dei, sui, et proximi.* Quae tria fundamenta ibidem hisce verbis optime illustrantur: = 1. Deus tamquam Ens perfectissimum, et a quo toti pendemus, omnibus animi viribus colendus, eique perfectissimum ac internum quoque obsequium praestandum est. 2. Homo nihil eorum, quae ad perfectionem felicitatemque assequendam, conservandam, amplificandamque pertinent,

praetermittere tenetur, dum id sine amoris divini violatione fieri non possit. 3. Homo hominem non minus, quam seipsum tenetur amare, nec alteri, quod sibi non vult fieri, facere: contra illi facere, quod ab altero sibi fieri cupit =. Hoc autem principio, subdit Heineccius, = nihil potest esse verius, cum ex ipsa voluntate divina, naturaeque humanae indole fluat: et, quo ego magnopere delector, in ipsis sacris literis praesidium reperiat. Nihil evidentius, cum omnes, quae illud ingrediuntur, partes ita sint comparatae, ut eae sola recta ratione etiam ab homine literarum rudi, immo et a pagano agnosci facillime possint. Nihil denique magis adaequatum, cum reipsa..... nos demonstraturos putemus, nullum esse vel hominis vel civis officium, quod non ex his principiis tamquam ex uberrimo, limpidissimoque fonte promanet =. Doctrina, quam hactenus tradidit clarissimus scriptor maxime nobis arridet, cum triplex hoc principium et verum et evidens et adaequatum quoque fateamur. Nihilo tamen secius animadvertimus, hujusmodi amoris praeceptum, sive unum sive triplex illud ponatur, non aliunde vim obtinere quam ab ordine naturali, qui nunquam profecto servabitur, nisi Deus religione colatur, nisi homo seipsum diligat, nisi quisque alios etiam uti

creaturas rationales sibique similes aequo amore prosequatur. Principium ergo dilectionis a Cumberlando, et Heineccio constitutum ab alio proficiscitur ac omnino dependet, quo naturalis ordinis custodia jubetur. Sed principium ab alio dependens nequit esse primum juris naturae fundamentum. In dilectionis igitur praecepto minus recte adstruitur legis naturalis primum ac fundamentale principium.

§. XVII.

Postremo ad hujus articuli calcem adhuc inquirendum superest, num sanctione lex naturalis roboretur? Qua in re si experientiam consulere libeat, minime dubitandum erit aliqua sanctionis specie jus naturae gaudere. Etenim qui vitam modo naturae consentaneo traducit gaudium ex bonorum operum conscientia experitur, quod longe quidem exsuperat mundi voluptates, quibus mali delectantur. Uberrimos quoque fructus e virtutibus moralibus homo percipere solet, quarum exercitio lex naturalis apprime servatur: sic pluribus morbis temperans occurrit, cum ab iis abstineat, quae valetudini corporis possent obesse: justus hominum existimationem ac benevolentiam sibi conciliat: prudens adversae fortunae casus saepenumero avertit: aequo animo sustinet

mala obvenientia fortis, ejusque patientia fit levius quod secus vitari nequit. Improbi contra inter saeculi tempestates cum nullo muniantur praesidio virtutum, utpote ceteris mortalibus infeliciores, Isaiae cap. 57. v. 20. describuntur *quasi mare fervens, quod quiescere non potest*. In praesenti igitur statu praemium aliquod adnexum habet legis naturalis custodia, poenam ipsius violatio. Sed in praemiis, ac poenis tribuendis sanctio cujusque legis consistit. Ergo non omni caret sanctione lex naturalis. Eam tamen neque perfectam neque plane sufficientem fore hoc facili rationis discursu comprobatur. Perfecta, ac sufficienti sanctione tum lex dicitur firmata, cum ipsius custodiam vel transgressionem semper, atque debita ratione merces aut punitio subsequatur. Atqui non semper, non debita ratione id fieri contingit. Nam praeter laborem in refraenandis concupiscentiis, in vitiis devitandis, in virtutibus exercendis cuique necessarium, justi pro recte factis quandoque livoris ac invidiae vulnera non evadunt; rerum direptionem patiuntur; vinculis, verberibus, exsiliis, morte multantur; uno verbo, quovis calamitatum genere aeque ac impii in hoc mundo torquentur. Cum itaque in praesenti vita nec virtutem pro merito compensari videamus, nec vitium condigna poe-

na vindicari, jure concludimus legem naturalem nec perfecta nec sufficienti sanctione gaudere. Hisce autem positis, quoniam divinae bonitati simul ac justitiae convenit, ut lex a Deo ipso procedens congruam habeat sanctionem, invictum exinde argumentum jam prodit, quo adversus incredulos certa futurae vitae exspectatio demonstretur, ubi legem naturalem fideliter custodientibus retributio, transgredientibus vero supplicium reservatur.

ARTICULUS TERTIUS

De Lege Divina positiva.

§. XVIII.

Quam impar sit refraenandis cupiditatibus ac moribus perficiendis ratio naturalis sibimet derelicta, nimium satis ostendit luctuosa simul ac vera morum historia. Cruenta nempe hominum sacrificia, infandi ritus, quos apud gentes impia idolorum superstitio jubebat; dira certamina, caedesque veluti ad commune solatium in amphitheatris exercitae; horrenda liberorum, vel parentum senio aut aegritudine languentium occisio; haec, aliaque id genus turpia facinora juxta veteres non modo barbaras, sed cultas quoque nationes probata, recepta, immo

etiam legum auctoritate firmata conspiciuntur (1). Tantum inter mortales imperii nancisci potuit ignorantia et pravitas, ut vel prima juris naturae principia oblivioni traderentur. Divinitus ergo humano generi per legem positivam succurrendum erat, qua nova sanctione munirentur juris naturae praecepta, qua verae divinitatis cultus superstitioni praevaleret, qua homines rite moribus instituti ad sempiternam felicitatem perducerentur. En quo pacto, rationis humanae imbecillitate perspecta, adversus theistas religionis naturalis insufficientia demonstretur simul ac necessitas divinae Revelationis, quae in lege positiva, de qua disserimus, continetur. Hujusce legis necessitatem dilucide comprobat D. Thomas 1. 2. Quaest. 9. art. 4. dicens: = Praeter legem naturalem et legem humanam necessarium fuit, ad directionem humanae vitae habere legem divinam. Et hoc propter quatuor rationes. Primo quidem; quia per legem dirigitur homo ad actus proprios in ordine ad ultimum finem. Et si homo ordinaretur tantum ad finem, qui non excederet proportionem naturalis facultatis hominis, non oporteret, quod homo haberet aliquid directivum ex parte rationis supra legem na-

(1) Prae ceteris vide Eusebium praeparat. Evang. lib. 6. cap. 10., et Clementem Alexandrinum exhort. ad gent.

turalem, et legem humanitus positam, quae ab ea derivatur. Sed quia homo ordinatur ad finem beatitudinis aeternae, quae excedit proportionem naturalis facultatis humanae, ideo necessarium fuit, ut supra legem naturalem et humanam dirigeretur etiam ad suum finem lege divinitus data. Secundo, quia propter incertitudinem humani judicii, praecipue de rebus contingentibus et particularibus, contingit de actibus humanis diversorum esse diversa judicia, ex quibus etiam diversae, et contrariae leges procedunt. Ut ergo homo absque omni dubitatione scire possit quid ei sit agendum, et quid vitandum, necessarium fuit, ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam, de qua constat, quod non potest errare. Tertio, quia de his potest homo legem facere, de quibus potest judicare. Judicium autem hominis esse non potest de interioribus actibus, qui latent, sed solum de exterioribus motibus, qui apparent; et tamen ad perfectionem virtutis requiritur, quod in utrisque actibus homo rectus existat. Et ideo lex humana non potuit cohibere, et ordinare sufficienter interiores actus, sed necessarium fuit, ut ad hoc superveniret lex divina. Quarto, quia lex humana non potest omnia, quae male fiunt punire, vel prohibere: quia dum auferre

vellet omnia mala, sequeretur, quod etiam multa bona tollerentur, et impediretur utilitas boni communis, quod est necessarium ad conservationem humanam. Ut ergo nullum malum improhibitum, et impunitum remaneat, necessarium fuit, supervenire legem divinam, per quam omnia peccata prohiberentur =.

§. XIX.

Legem positivam, de cujus necessitate ex superius traditis ambigendum non est, in tabulis lapideis adhuc peregrinanti judaeorum populo Deum per Moysen in Horeb consignasse, testatur liber Exodi cap. 19. et 20., ubi terribilis gloriae apparatus describitur, quo ipsius legis contigit promulgatio. (1) Hanc porro legem non Moysen, aut seniores populi, sed Deum tantum auctorem habuisse constat ex cap. 20. v. 1. cujus haec sunt verba: *Locutus est Dominus cunctos sermones hos.* Item Deuteronomii cap. 6. v. 1. legitur: *Haec sunt*

(1) Lex, de qua sermonem hic habemus, ab ejus promulgatore *Mosaica* nuncupata fuit; *Pentatheucum* etiam vocatur, ac quinque continet libros legales qui Moysi tribuuntur: appellatur quoque *Lex vetus,* quia *Evangelicam* praecesserat; *Foedus, Pactum, Testamentum,* cum Deus judaeos in populum sibi electum recepisset, eisque terram Chanaan pollicitus foret, si mandata servassent. Latiori autem sensu lege veteri accepta, ad eam, praeter Pentatheucum, libri historici, sapientiales, prophetici referuntur.

praecepta et caeremoniae, atque judicia, quae mandavit Dominus Deus vester, ut docerem vos. Hisce testimoniis accedit Novi Foederis auctoritas; nam Servator Christus in Evang. Mat. cap. 15. v. 6. de lege veteri disserens, cui adversabantur in pluribus pharisaei; *vos* inquit, *irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.* Edocemur pariter Lucae cap. 1., act. Apost. cap. 3; ep. ad Hebraeos cap. 1. Deum locutum olim fuisse per Moysen et prophetas. Veritatem hujusmodi, quae Sacrarum Scripturarum oraculis tam aperte enuntiatur, adversus Marcionitas et Manichaeos invicte propugnarunt Tertullianus, Epiphanius, et Augustinus: hanc semper amplexa est Ecclesia universa: hanc Tridentini Patres sess. 4. de Canonicis Scripturis firmarunt, decernentes *Sacrosanctam Synodum libros tam veteris quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor,.... pari pietatis affectu ac reverentia suscipere, venerari.*

§. XX.

Legem veterem, quam Deum auctorem habuisse nuper commonstravimus infensissime adorti sunt haeretici plures, qui a saeculo secundo ad quartum Ecclesiam Christi divexarunt. Gnosticorum enim et Carpocratianorum errorem mutuati Cerdoniani, Mar-

cionitae, Manichaei, et Priscillianistae, cum duo invicem colluctantia principia rerum effingerent, asserere non dubitarunt, Deum, qui legem dedit per Moysen, atque in Prophetis locutus est, verum non esse Deum, sed unum ex principibus tenebrarum. Ut autem eorum doctrinam defensarent plurima e Sacris Libris congerebant Marcionitae praesertim, et Manichaei (1), quae per summa capita saltem in hanc formam sic brevi juvat referre:

Si lex vetus opus Dei esset, *perpetuitate* simul ac *perfectione* gauderet: legimus quippe Ecclesiastis cap. 3. v. 14. *Didici, quod omnia opera, quae fecit Deus, perseverent in aeternum:* itidem Deuteronomii cap 32. v. 4. *Dei perfecta sunt opera.* Atqui in lege veteri neutrum ex hisce characteribus reperitur. Haec igitur a Deo non procedit.

Minor quoad primam partem constat evidentia facti, cum lex vetus jamdiu per Evangelicam desierit: quoad alteram sequentibus animadversionibus comprobatur.

1. Lex vetus causa fuit peccati: idque testatur Apostolus ad Romanos dicens cap. 5. v. 20. *Lex autem abundavit, ut superabun-*

(1) Cuncta, quae in legem veterem protulerunt hujusce furfuris homines, tradita comperiuntur, ac valide oppugnata tum apud Tertullianum lib. adversus Marcionem, tum apud Augustinum de Haeresibus cap. 21. et 46; lib. 4. contra Faustum et lib. contra adversarium Legis et Prophetarum.

daret delictum: et cap. 7. v. 9. *Cum venisset mandatum, peccatum revixit.*

2. Graviora crimina jubebat lex vetus juxta illud Ezechielis cap. 20. v. 25. *dedi eis praecepta non bona.* Imprimis enim, quamquam erga proximum et amicum dilectio suaderetur (1); nihilosecius odio vatiniano universim in gentes exardescere tenebantur judaei ac speciatim in Amalecitas ad internecionem usque persequendos (2). Ultionis quoque cupido maxime fovebatur: habetur namque Levitici cap. 24. v. 19. 20. *Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum; sicut fecit, sic fiet ei. Fracturam, pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet.* Quid plura? Nonne, sicut Rhodii, Aegyptii, Lacedaemones ac Romani, ita et populus Israel jussu Mosaicae legis victimas humanas nefario cultu mactabat? (3)

3. Nimium carnalis erat lex Moysis, cum rerum temporalium concupiscentiae plus aequo indulgeret. Quid enim dilecto populo ea pollicitabatur? divitias, saturitatem, innumeram prope sobolem, uberrimos terrae fructus, Chananitidem, quae prae ubertate *lacte et melle* fluere dicebatur. (4)

(1) Levit. cap. 19. v. 17. 18.
(2) Exodi cap. 17. v. 14.
(3) Levit. cap. 27. v. 28.
(4) Deuteronom. cap. 27. v. 3. cap. 28. v. 4.

4. Injusta quoque dici poterat, tum quia servus profugus domino reddendus non erat; (1) tum quia anno jubilaei cuncta debita remittebantur. (2)

5. Anilem quoque superstitionem in plurimis redolebat; ubi scilicet discretione facta mundorum animalium ab immundis, (3) haec immolare vel comedere nefas adserebatur, quasi non omnia animantia benedixerit Deus Genesis cap. 1. eaque *valde bona* appellaverit. Idipsum dicatur, sive de hirco emissario, (4) sive de abstinentia a sanguine et morticino, (5) sive de immunditia exorta ab humani cadaveris contactu, (6) aliisque sexcentis, quae in caeremonialibus hujusce legis praeceptis continentur.

6. Divinis tandem attributis justitiae, ac bonitatis per legem Mosaicam summopere derogatur. Injuriosam personarum acceptionem qui dixerit unquam una cum justitia posse componi? At noscimus ex veteri testamento, Deum sibi delegisse populum Israel, eique dumtaxat, cunctis nationibus posthabitis, legem tradidisse. Bonitati quid magis adversum, quam crudelitas, quam furor vindictae? At bellum, caedesque inhiantem

(1) Ibidem cap. 23. v. 15.
(2) Levitici cap. 25. v. 13.
(3) Levit. cap. 11.
(4) Levit. cap. 16.
(5) Ibid. cap. 17.
(6) Numer. cap. 19.

Deum inibi descriptum habemus, qui Chananaeos, et Amalecitas immaniter necari jussit, qui nec mulieribus, neque infantibus lactentibus pepercit: unde talia recogitans nemo est, quin clamet: *tantae ne animis coelestibus irae?*

Hisce omnibus exaratis, sic perstringitur argumentum. Lex, quae causa est peccati, ac facinora probat; quae carnalis est, injusta, superstitiosa; quae Entis perfectissimi detrahit sanctitati, haud unquam perfecta poterit appellari. Sed legem Mosaicam plurimis hisce defectibus scatere adhuc probatum est. Non ergo perfecta. Cum igitur neque perpetuitas legi Mosaicae conveniat, neque perfectio, reliquum est ut concludatur, eam a Deo conditam non fuisse.

§. XXI.

Tot argutationum agmen ut rite profligetur, nil aliud necesse nobis est, quam objecta Sacrarum Scripturarum loca accurate perpendere, dilucide explanare. Ut a majori exordiamur propositione, utraque Scripturae Sacrae auctoritate recepta, tuto reponimus per Ecclesiastis verba divinis operibus aeternitatem proprie dictam non tribui. Eodem enim cap. 3. v. 1. cuncta creata mutationi obnoxia dicuntur, *suis* namque *spatiis transeunt universa sub coelo.* Hoc

unum ibi significatur, quod rerum ordo ac vicissitudines divinitus constitutae in mundo continenter servantur, nec usquam fiet viribus humanis, ut secus eveniat. Id sane ex ipso eruitur contextu, ubi postquam dixerit Ecclesiastes v. 14. *didici, quod omnia opera, quae fecit Deus, perseverent in aeternum;* subdit: *non possumus eis quidquam addere, nec auferre* (1). Nobis autem vel minime adversatur vox *holam*, quam in hebraico textu reperimus. Ea quippe non semper indefectibilem durationem exprimit, sed persaepe designat indeterminatam quamlibet temporis continuationem. De hoc improprio loquendi modo extant exempla Levitici cap. 25. v. 46; Exodi cap. 21. v. 6; ac praesertim Geneseos cap. 17. v. 8; ubi terra Chanaan Abrahamo promittitur in possessionem *aeternam*, longam scilicet, atque diuturnam (2). Quod vero ad locum attinet

(1) Hac ipsa ratione D. Augustinus hano rerum aeternitatem, seu perpetuitatem explicat lib. 1. confess. cap. 9. dicens: — Apud te, (Deus) rerum omnium instabilium stant causae, et rerum omnium irrationalium, et temporalium sempiternae vivunt rationes —. Videatur Aug. Calmet Comment. in lib. Ecclesiastis tom. 5. Consuli quoque poterunt selecta comment. Bibl. Saer. cum accessionib. Lucae Burgensis tom. 13.

(2) Ad rem longi temporis ao indafiniti unice denotandam vox aetarnitatis vulgo etiam adhibetur: sic oratio nimis protracta aeterna dicitur, dolor aeternus, qui diu perseverat. Quin immo idipsum usurpatum est apud profanos scriptores, uti colligitur ex Horatiana sententia lib. 1. epist. 10.

Serviet in aeternum, qui parvo nesciet uti.

Deuteronomii, in quo divina opera uti perfecta commendantur, haec jure perfecta dicuntur, non quod majorem perfectionem excludant, sed quia eorum finibus apprime conveniunt: videlicet sunt perfecta *secundum quid*, non tamen *simpliciter* et *absolute;* postremum enim perfectionis genus divinae tantum competit naturae.

Hisce elucidatis, per quae notio perpetuitatis, ac perfectionis rerum juxta Sacrarum Literarum sensum declaratur, argumentum superius oppositum sic facile dissolvimus. *Si Dei opus esset lex vetus, tum perpetua simul foret atque perfecta*: concedimus majorem. *Atqui lex vetus hujusmodi caret proprietatibus:* assumptionem quoad utramque partem negamus. *Ergo lex vetus divinum opus non est:* rejecta minore, negamus et consectarium. Ratio, cur assumptio improbatur, ex sequentibus apparet. Ad hoc hebraeorum populo data fuit Mosaica lex, ut futuram gratiae legem, ut coelestem Reparatorem ac Ducem praesignificaret. Desiit illa quidem, sed tamen vere *perpetua* fuit; a Moyse namque ad Christum integra viguit, ac immota perduravit quamdiu tempus advenit nutu Dei praefinitum, quo umbram veritas fugavit. Item quamvis longe minus perfectam legem veterem fateamur, quam Evangelica sit; nihilosecius eam in suo ge-

nere *perfectam* fuisse nemo inficiabitur, utpote certe opportunitati temporum ac personarum, quibus imposita erat, penitus accomodatam (1). Sex porro animadversionibus, quae ad argumenti praesidium legi veteri officere videntur, singulae respondeant oppositiones. Esto itaque

1. Antequam lex scripta prodiret, nonnulla ignota erant peccata, vel gravia pro levibus habebantur. Qua ignorantia per legem depulsa, eorumque detecta pravitate, ab iisdem non abstinuit, sed potius ea expetivit ardentius in vetitum prona saepe voluntas. Lex igitur juxta mentem Apostoli ad Romanos cap. 7. simplex occasio fuit, qua posita, hominis vitio *abundavit, revixit* peccatum (2). Secus, si veluti causa efficiens lex hominem ad culpam induceret, excitaret, quomodo ipse Paulus ibidem v. 12, asserere de eadem potuisset: *Itaque lex qui-*

(1) In id consentit Angelicus Doctor 1. 2. Quaest. 98. art. 2. ad 1. dicens: — Nihil prohibet, aliquid non esse perfectum simpliciter, quod tamen est parfectum secundum tempus: sicut dicitur aliquis puer perfectus, non simpliciter, sed secundum temporis conditionem: ita etiam praecepta quae pueris dantur, sunt quidem perfecta secundum conditionem eorum, quibus dantur, etsi non sint perfecta simpliciter. Et talia fuerunt praecepta legis —.

(2) Ita rem explicat D. Augustinus serm. 4. de verb. Apost. cap. 7. inquit enim: — Quid revixit? Apparere coepit, sentiri coepit, rebellare adversum me coepit —. Consulatur idem S. Pater lib. de Spiritu et Litera cap. 4; nec non D. Thomas loco jam cit. art. 1. ad 2. et lectione 2. in cap. 7. ad Romanos.

dem sancta, et mandatum justum, et bonum? Quomodo regius Vates cecinisset Ps. 15. v. 8. *Lex Domini immaculata?* Eam ne viri sanctitate praeclari, Patriarchae, Prophetae omnes, ipsemet Redemptor Christus tam fideliter servare studuissent?

2. Verba Ezechielis, quibus abutebantur Manichaei ad judicialia vel caeremonialia legis praecepta utique referri poterant, non vero ad moralia, quae nil aliud profecto sunt, quam juris naturalis compendium. At ea cur *non bona* a propheta appellantur? Non sane quia moraliter mala forent, sed quia servis potius conveniebant, quam filiis; hujusmodi quippe legibus grave jugum Deus imposuerat judaeis, tum in criminum vindictam, tum etiam ut eorum contumacia frangeretur (1). Verum ad ea descendamus, quae contra legis veteris sanctitatem particulatim objectantur. Odium inimicorum du-

(1) Ad rem nostram aliae quoque suppetunt hujusce loci interpretationes e Sanctis Patribus deductae. D. Gregorius lib. 28. moral. cap. 18. ait: — Bona quasi bona non sunt comparatione meliorum.... ita, melioribus Novi Testamenti praeceptis subsequentibus, praecepta bona, quae rudibus data sunt, non bona memorantur — . D. Augustinus ep. 82. N. 14. ea existimat praecepta non bona, quae minus apta erant ad hominem perficiendum: huic Angelicus Doctor inhaerens ita scribit 1. 2. Quaest. 98. art. 1. ad 1. — Dominus loquitur ibi de praeceptis caeremonialibus, quae quidem dicuntur non bona, quia gratiam non conferebant, per quam homines a peccato mundarentur —. Videantur D. Hieronymi commentar. in Ezechielem.

pliciter sumi potest (1). Alterum, quo dumtaxat hominum iniquitatem, alterum quo homines etiam aversamur. Primum dilectioni proximi non officit, ac illud est, quod lege Mosis praecipiebatur: postremum vel probatum vel saltem permissum nullibi reperitur. Equidem non diffitemur, populo Israel jungere cum gentibus foedera vetitum fuisse. Id autem cur? Non ut in personas hostilem animum haberent, sed ne vitiis ac superstitionibus ethnicorum inquinarentur.

Quoad legem talionis brevi sic respondet Augustinus eodem libro contra Faustum cap. 25. Haec *non fomes, sed limes furoris est:* constituta enim fuit, *non ut id, quod sopitum erat hinc accenderetur, sed ne id quod ardebat ultra extenderetur.* Publica namque auctoritate cum pro injuriis proximo illatis poena sontibus infligeretur, via privatis intercludebatur ultionibus, quae ut plurimum aequitatis fines excedunt, cautumque erat, ne plus detrimenti quis pateretur, quam posceret offensae reparatio. Amorem igitur vindictae lex Mosaica non fovebat (2). Tandem ubinam, petimus, victimae humanae jussu legis in Dei cultum reperiuntur mactandae? Nullum profecto

(1) Ex D. Augustino lib. 19. contra Faustum cap. 24.

(2) In idem conveniunt hac de re Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 18., et D. Isidorus Pelusiota lib. 2. Ep. 133.

de hisce cruentis sacrificiis historia sacra perhibet exemplum. Plurima quidem legimus in Levitico de animalibus ad sacrificium designatis constituta; de hominibus nihil. Decernitur item in Exodo, ut omnes primogeniti hominum simul et animalium Deo offerantur; hoc tamen discrimine, quod posteriores immolentur, ac pretio redimantur priores. Quin immo Deuteronomii cap. 12. v. 31. expresse interdicitur judaeis, ne imitentur Chananaeos *diis suis offerentes filios et filias, et comburentes igni.* Neque obstat illud Levitici cap. 27. v. 28. et 29. = Omne, quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit... Et omnis consecratio, quae offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur = (1). Haec, inquimus, verba defensae veritati non obstant: si enim probe intelligantur, adversariorum difficultas penitus evanescit, nec non apparens antilogia, quae hoc ipso capite habetur. Adnotandum igitur est, de triplici consecratione mentionem ibidem fieri seorsim circa ea, quae Deo offerebantur. Prima, quae v. 2. dicitur *neder*, seu *votum*, fieri consueverat, cum quis

(1) Hac auctoritate non modo abutuntur Manichaei, sed recentiores etiam sophistae. Tindallius et Bolingbrockius inter Anglos tanti criminis Israelitas insimulant, eisque adhaeret Voltairius tum in diction. philosophico, tum in Biblia explicata.

hebraeorum se se divino cultui ita devoveret, ut Sacerdotibus ac Levitis in tabernaculo vel templo praeberet famulatum. *Kodesc,* idest *sanctitas* altera nuncupatur v. 14., nec aliud erat, quam oblatio rerum, scilicet bonorum immobilium, quae Domino veluti sanctificata habebantur. Cum utrique consecrationi nullum tempus definitum foret, lege permittebatur, ut personae vel res Deo sic dicatae pretio redimerentur. Postremae consecrationi, v. 28. sive in hebraeo textu, sive in versione chaldaica respondet vox *Cherem,* quam septuaginta interpretes *anathema* vertunt. Quidquid porro huic anathemati obnoxium erat non redimebatur, sed destrui oportebat juxta Levitiei phrasim *morte morietur.* Haec autem destructio non semper, non in omnibus occisionem poterat designare. Nam si de rebus inanimatis actum esset, eas Deo semel ac perpetuo dicatas nefas erat in usum profanum transferre: si de animalibus, munda sacrificio absumebantur, extra sacrificium perimebantur immunda: si de hominibus generatim, isti morte quadam civili afficiebantur, rebusque terrenis quasi demortui Deo tantum mancipati erant, uti Samuel, et omnes Nazaraei. At *Cherem* execrationis votum quandoque designabat, ac ferebatur vel in eos, qui gravi scelere obstricti poenam

capitis merebantur, vel in hostes populi Israel idolorum cultores. Cum igitur perditionis anathemate solummodo plecterentur, quos in criminum vindictam vel jure belli interficere licebat, quisnam poterit inferre, per eorum internecionem etiam voto aut juramento firmatam verum ac proprium Deo sacrificium sanguinis humani judaeos obtulisse? (1) Sed responsum concludamus. Legem Mosis non odium probare, non vindictam, non crudelitatem ex dictis apparet. Non est ergo, cur mala dicatur (2).

3. *Scimus, quia lex spiritualis est*, inquit Apostolus ad Romanos cap. 7. v. 14. Ergo non est carnalis. Promittuntur equidem in Testamento veteri bona temporalia, sed non praetermittuntur aeterna. Quamvis enim Abraham ejusque posteris Deus pollicitus fuerit terram *a fluvio Aegypti usque ad fluvium magnum Euphratem;* antea nihilominus ipsi dixerat Geneseos cap. 15. v. 1. *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.*

(1) In judaeos, quod vi anathematis Amalecitas et Chananaeos morti tradiderint, quod eorum urbes ac spolia deleverint non adeo vehementer excanduisset Voltairius, si bona fide animadvertisset Romanorum etiam, quos perlaudat, ac praefert judaeis, proprium fuisse urbes, exercitus, duces inimicorum diis inanibus devovere, uti testantur Livius lib. 8. cap. 9. et 10. et Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 9.

(2) Pro hujusce difficultatis resolutione legi poterunt Estii, Menochii, Tirini, Calmeti commentaria in Levitic., et Duclot Bibliae vindicatae tom. 3.

Promittebantur bona temporalia, sed eo fine, ut populus Israel ad divini Legislatoris dilectionem suaviter duceretur, atque ad bona coelestia expetenda facilius animum converteret. Optima sane ratio haec fuit, (1) qua judaei admodum carnales a cultu averterentur idolorum, quae ideo venerabantur gentes, ut terrena assequerentur.

4. Iniqua pariter est criminatio, qua lex Mosaica pronunciatur injusta. Cur enim injusta? Non certe quia servum profugum suo domino tradere vetitum foret Deuteron. cap. 23; cum pietas non modo, sed aequitatis jura postularent, ut servus invitus non redderetur, ne durior evaderet ipsius conditio, imo ne forte dominici furoris innocens victima occumberet. Neque vero injustitiam sapit quod Levitici cap. 25. decernitur circa *annum jubilaeum*, quo adveniente, cuique judaeorum ad veterem possessionem jus regressus dabatur, ac servi pristinam libertatem recuperabant. Id sapienter lege Mosis fuerat constitutum, ne dominia rerum de una tribu in aliam transirent, ne ad egestatem perducerentur familiae, ne praepotenti divitum imperio pauperes opprimerentur. Vi porro hujuscè legis cum ad tempus, nempe ad annum quinquagesimum

(1) Ita Augustinus lib. 10. de Civit. D. cap. 14.

fierent venditiones, cumque neminem haec lateret conditio; hinc res minus venibant, eoque minus quo propius erat jubilaeum, ut aequitas in venditione servaretur.

5. Verum quid de praesumpta superstitione dicendum? Si de animalibus sermo sit, quae immolare, vel edere nefas erat judaeis, cuncta haec coram Deo munda prorsus fuisse non diffitemur. At ex iis plurima tropologice symbola sunt vitiorum, a quibus abstinendum. Sic luxuriae inquinamenta in sue designantur, in camelo superbia, in milvo et aquila rapacitas foeneratorum. Deus igitur, ut populum rudem a morum pravitate magis avocaret, ea pro immundis haberi voluit animalia, quae vitium aliquod significabant (1). Nullum igitur hac in lege superstitionis vestigium. Item nec improbanda est annua solemnis expiatio, a qua e duobus hircis unum Summus Sacerdos victimam piacularem Deo offerebat; alter assumptis populi peccatis dimittebatur (2).

(1) Non absimili ratione Marcionem urget Tertullianus lib. 2. cap. 18. dicens: -- Et si lex aliquid cibis detrahit, et immunda pronunciat animalia, quae aliquando benedicta sunt, consilium exercendae continantiae intellige, et fraenos impositos illi gulae agnosca, quae cum panem ederit Angelorum, cucumeres et pepones Aegyptiorum desiderabat. Agnosce simul et comitibus gulae, libidini scilicet atque luxuriae prospectum, quae fere ventris castigatione frigescunt --.

(2) Expiationem ejusmodi lege veteri Deus fieri jussit ad superstitionem reprobandam, qua hircos vel maxime veneraban-

Quo autem dimittebatur? In solitudinem tamquam sacrificium *Hazazeli*, seu diabolo tributum, inquiunt Julianus apostata, Rabbini plures, ac Joannes Spencerus lib. 3. de legibus ritualibus hebraeorum dis. 8. At contra, vocem *Hazazel,* quae in sacro textu reperitur, non de cacodaemone, sed de hirco intelligendam fore ex eo satis apparet, quod e duabus *hez-azal;* idest *caper-abiit,* eadem conficitur. Unde *Hazazel* cum Symmacho et Aquila reddimus *hircum emissum* vel *emissarium* juxta graecam, et vulgatam Hieronymi versionem, quam Catholica recipit Ecclesia. Tantum porro a superstitione procul abest hujusmodi ritus, ut in eo potius adventuri typus effulgeat Redemptoris. Ibi namque, ait Cyrillus Alexandrinus lib. 9. adversus Julianum, = descriptus est per utrumque (hircum) Christus unus, et moriens pro nobis secundum carnem, et mortem superans secundum Divinitatis naturam =. (1) Irridenda porro non est abstinentia a sanguinis esu, qui apud hebraeos

tur Aegyptii. De tam profano cultu testes habemus Herodotum lib. 2. cap. 46. Diodorum Siculum lib. 1. Strabonem lib. 17; et Plutarchum in Iside.

(1) Praeter Cyrillum ac Hieronymum jam citatos consuli quoque poterunt Theodoretus Quaest. 22. in Levitic; Augustinus ibidem Quaest. 55., Interpretes universim, ac prae ceteris Natalis ab Alexandro histor. Eccles. veter. in 4. mundi aetat. dissert. 3. art. 4. et Laurentius Berti theologic. disciplin. lib. 20. cap. 9.

crudelitatis speciem habebat. Ea siquidem optime praecipiebatur tum ad emollienda judaeorum corda, tum etiam ut iis identidem animo rediret, animalium sanguinem Deum sibi pro sacrificiis reservasse. Eadem ex causa morticinum comedere nefas, quod a sanguine mundatum non erat. Animadvertimus tandem, hominem vita functum tangere vetitum non fuisse; secus Divinae Literae Tobiam non commendarent ob praestantissimum religionis officium, quo captivis interemptis tumulum pientissime concedebat. Legalem tantum gignebat immunditiam hujusmodi contactus, ob quam a sacrificio offerendo impediebantur hac ratione polluti antequam purificationi subjicerentur. Ceterum huic ritui nec congrua deerat significatio: interna quippe ac spiritualis indicabatur immunditia, qua rerum vetitarum contactu, hoc est, per peccatum, anima commaculatur.

6. Demum inscite nugantur qui per legem veterem divinis attributis derogari contendunt. Ad Libros Sacros vix oculos convertere sat est, ut rei veritas luculenter aperiatur. Si ea scrutemur in primis, quae Divinam Essentiam attingunt; Deus ibi passim asseritur Ens a se existens, (1) Unum, (2)

(1) Exodi cap. 3. v. 14.
(2) Deuteronomii cap. 4. v. 35. cap. 6. v. 4.

Immensum, (1) Aeternum, (2) Omnipotens, (3) in omnibus infinite perfectum. (4) Si vero divina opera spectentur, quae ab extra fieri dicuntur; ibi quoque semel iterumque, gloria enarratur Supremi rerum Conditoris atque Moderatoris, (5) qui tum retribuendo, tum maxime parcendo justitiam simul atque misericordiam erga homines exercet. (6) Haec adeo perspicue traduntur in veteri Testamento, ut tuto concludere valeamus, nullibi apud gentes tam sublimes de Divinitate notiones reperiri, quales e Mosaica lege judaei fuerant assequuti. Sed objectis peculiariter occurramus. Populo Israel datam fuisse legem non inficiamur: haec nihilosecius et pro aliis fuerat constituta, ejusque perinde ac judaei participes erant proselyti et alienigenae. Ubi ergo injuriosa personarum acceptio? Gentes praeterea, quae Deum non noverunt, omni scelerum forma inquinatae cum essent, tantum munus poterant ne speciatim promereri? Contra, judaei, quamvis diu inter gentes morati, veri Dei cultus obliti non fuerant. Illud etiam accedit, quod cum fide, ac pietate Abraham Deo placuis-

(1) Psalmo 138. v. 8. (2) Geneseos cap. 21. v. 33. Exodi cap. 15. v. 18. (3) Genesis cap. 17. v. 1. (4) Sapientiae cap. 7. v. 26. (5) Genesis cap. 1. v. 1. Sapientiae cap. 12. v. 13. Isaiae cap. 42. v. 5. (6) Psalmo 88. v. 15. Ecclesiastici cap. 35. v. 22. 26. Isaiae cap. 11. v. 4.

set, e progenie jam sibi divinitus promissa Dux ille educendus erat, qui regeret Israel, quemque generis humani reparatorem nationes exspectabant. Ergo specialis aderat ratio, cur Deus, qui tamen *personam non accipit, nec munera,* (1) prae ceteris populo judaeorum veluti praenuntiam Evangelicae legem veterem consignaret, qua ipse tamquam genus electum, gens sancta, populus acquisitionis haberetur. Postremo si Amalec, si incolae Chanaan, Deo jubente, ad interitum contriti fuere, nunquid apud Deum iniquitas? Pugnavit Amalec in Raphidim (2) adversus Israel, eique restitit in via, ne pergeret in terram promissionis: exosi, abominabiles evaserant coram Deo Chananaei ob idololatriam, ac superstitiones, quibus erant addicti. Tanta lacessitus improbitate nonne juste poterat Deus in eos animadvertere? Si juste humanum genus delevit aquarum diluvio; si Pentapolim igne combussit; si in mare rubro potentiam Pharaonis demersit; non injuste profecto judaeorum dexteram obarmavit, ut, nemine excepto, criminum poenam darent populi infideles. At cum justitiam Deus exercuerit, bonitatem non offendit: nam in Ente infinite perfecto justi-

(1) Deuteronomii cap. 10. v. 17.
(2) Exodi 17. v. 8. 1. Regum cap. 15. v. 2.

tia simul ac bonitas invicem depugnantes nequeunt effingi. Ex iis igitur, quae in lege veteri de Divinitate feruntur, nihil extat, quod ipsius adversetur attributis.

§. XXII.

Divinam legem positivam, de qua hactenus disseruimus, aliquando interituram sacrorum vatum praenuntiarunt oracula. = Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Juda foedus novum non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum... Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel... dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam =(1). = Civitatem et Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium; et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem, et finem statuta desolatio =. (2) = Dies multos sedebunt filii Israel sine lege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine teraphim =. (3) Amussim autem cuncta haec evenerunt. Periit namque templum Hierosolymitanum; hoc

(1) Jeremiae cap. 31. (2) Danielis cap. 9. v. 26. 27.
(3) Hosee cap. 3. v. 4.

enim primo exarsere Romani, dein vel invitus Julianus imperator funditus evertit. Periit sacrificium, quod extra templum nefas erat offerre. Periit quoque Sacerdotium, cum tribus Levi, in qua divinitus illud fuerat constitutum, a ceteris insimul admixtis nunc temporis nequeat discerni. Quae cum ita sint, argumentum hac ratione instituimus. Absque templo, sacrificio et sacerdotio lex Mosis consistere non poterat: *translato* quippe *sacerdotio*, ait Apostolus ad Hebraeos cap. 7. v. 12; *necesse est, ut et legis translatio fiat*. Verum haec tria defecisse, nec judaei valent in dubium revocare. Ergo lex Mosaica reapse fuit abrogata. Nec obstant Christi verba Matthaei cap. 5. v. 17. *Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere*. Ad rei perspicuitatem attendere juvat cum primum tria praeceptorum genera legem veterem complecti: *moralia* nempe, quae judaeorum perficiebant mores, quaeque veluti summam juris naturalis praeseferunt: *caeremonialia*, quae moderabantur cultum Divinitati rependendum: *judicialia* tandem, quibus Hebraeorum Respublica regebatur. Porro si de prioris generis praeceptis sermo sit, ea profecto nec soluta fuere, immo neque dissolvi poterant, cum a naturali proficiscantur lege, quae mutationem non patitur. (§. XII.)

De ceteris mandatis aliter sentiendum, quia jampridem cessarunt. Unde cum Servator dixerit, se non ut legem solveret in mundum advenisse, de praeceptis moralibus ejus verba intelligenda videntur. Sin etiam haec placeat ad alia referre praecepta, legis abrogationem vel minime oppugnant: legem quippe tum Christus revera adimplevit, cum symbolis, quae jam praeteritae continebant judaeorum caeremoniae, veritatem suffecit.

§. XXIII.

Cum autem definiendum sit, quonam tempore lex vetus cessaverit, omnes quidem fatentur ante Christi mortem ejus abrogationem non contigisse. Qua de re minime ambigendum est, cum Christus ipse et legem apprime servaverit, et servandam praeceperit judaeis (1). An vero in dominica passione lex desierit, an potius die solemni Pentecostes, aeque certo non constat. Hinc non una scriptorum sententia. Angelicus Doctor Sanctorum Patrum Ambrosii, Augustini, Leonis M. vestigia sectatus (2) inquit

(1) Lucae cap. 2. v. 21. Marci cap. 14. v. 12; Joannis cap. 7. v. 8; Matthaei cap. 8. v. 4., et cap. 23. v. 3.

(2) Doctrinam D. Thomae jure diximus auctoritate Patrum roborari: nam D. Ambrosius lib. 10. in Lucae Evang. ait: -- Velum scinditur, quo mysteriorum synagogae profanatio declaretur --. Augustinus accedit serm. 153. dicens: -- Velum scinditur, quia synagoga honore nudatur, observatio antiqua dis-

1. 2. Quaest. 103. art. 3. ad 2. = Mysterium redemptionis humani generis completum fuit in passione Christi. Unde tum Dominus di-xit, *consummatum est,* ut habetur Joann. cap. 19. v. 30; et ideo tum totaliter debuerunt cessare legalia, quasi jam veritate eorum consummata. In cujus signum in passione Christi velum templi legitur esse scissum =. Secus opinantur Scotistae, qui tum legem Mosaicam penitus abrogatam censent, cum primo Apostoli die Pentecostes coelesti Spiritu repleti solemniter legem Evangelicam Hierosolymis promulgarunt. Utraque tamen opinio, ni fallimur, componi videtur, si prae oculis habeatur sequens ineluctabile principium. Quemadmodum lex condita vim obligandi non habet, si nondum ea subditis innotescat; item pari ratione legis abrogatae tum tantum desinit obligatio, cum ipsius abrogatio fuerit promulgata. Hoc posito, dicimus legales caeremonias una cum sacerdotio levitico ablatas fuisse, cum Patri seipsum obtulit Christus novae legis Institutor ac Pontifex secundum ordinem Melchisedech. At quoniam non ante diem Pentecostes nunciata fuit Evangelicae legis ne-

solvitur —. Leo magnus quoque serm. 66. de passione haec habet: — Adeo tunc a lege ad Evangelium evidens facta translatio, ut, emittente Domino spiritum, velum vi subita scinderetur —.

cessitas, et veteris abrogatio, inde solum cessasse legalium obligationem consequitur. Verum eo tempore si lex vetus demortua omnino fuit, cur eam deinceps Apostoli servarunt? Cur Paulus Timotheum circumcidit? (1) Cur more Nazaraeorum caput sibi totondit in Cenchris? (2) Cur purificatus cum judaeis in templum intravit? (3) Ad haec brevi reponimus, legem, quamvis tum temporis inutilem, mortiferam statim et noxiam non fuisse; dummodo tamen ea nec haberetur ut necessaria, nec spes in ipsa reponeretur. Usurpare poterant ergo judaeorum ritus pro circumstantiis Apostoli, sive ad scandalum pusillorum devitandum, sive etiam ut hebraeos facilius ad Christi fidem pertraherent. Cum vero plenam perfectamque promulgationem Evangelium in dies obtinuerit, mortifera quoque lex Mosaica pedetentim evasit (4).

§. XXIV.

Antiquo foedere, uti etiam diximus, abrogato, lex nova successit, quam Deus non

(1) Actorum cap. 16. v. 3.

(2) Ibid. cap. 18. v. 8.

(3) Ibid. cap. 21. v. 26.

(4) Quandonam id evenerit e Scripturis Sacris, vel Patrum traditione tuto nequit ostendi: in excidio templi Hierosolymitani probabiliter arbitrantur nonnulli. Hac de re videatur Card. Gotti theolog. scholast. dogm. t. 8. tract. de legibus Quaest. 4. dub. 6. et 7; Consuli quoque poterunt theolog. discipl. Laurentii Berti lib. 20. cap. 10.

Angelorum ministerio, neque per os Prophetarum hominibus tradidit, sed per Unigenitum suum, quem mundi Reparatorem simul ac Legislatorem constituit. Nil sane clarius e Sacris Literis apparet. Verum quid unquam intactum reliquit furiosa rixandi libido? Lutherus Christum novae legis conditorem non agnoscit, cum fidenter scribat *de libertate Christiana*, hominem a quolibet legis vinculo solutum esse per fidem. In id consentit Calvinus in cap. 4. Ep. ad Galatas, qui quamvis Christum legis Mosaicae jugum sustulisse concedat, novam tamen hominibus imposuisse legem inficiatur. Tam putidum errorem amplectitur quoque Thomas Hobbesius in *Leviathan* cap. 42. At pseudo-reformatorum ausus plura Sacrarum Scripturarum loca plane compescunt. In primis enim legimus apud Matthaeum cap. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Item in Evangelio Joannis cap. 14. v. 21. *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me;* subinde cap. 15. v. 10. *Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.* Quibus positis auctoritatibus, sic facile pro veritate catholica argumentum concludimus. Christum vere Legislatorem fuisse, novamque instituisse legem haud dubio constat, si nova praecepta ho-

minibus servanda mandaverit. Id autem eum praestitisse ex nuper traditis compertum est. Christus ergo vere. Legislator fuit, ac novae legis Institutor. (1) Accedit insuper Ecclesiae Universae definitio, quae hisce verbis novatorum doctrinam anathemate confixit sessione 6. de justific. can. 19. == Si quis dixerit nihil praeceptum esse in Evangelio praeter fidem, cetera esse indifferentia, neque praecepta, neque prohibita, sed libera,... anathema sit ==. Haec porro novae legis praecepta ad tria genera referuntur. Ad eam quippe *moralia* pertinent, quae Christus non primum quidem instituit, sed magis adhuc explanavit, ac nova firmavit sanctione: *praecepta Fidei,* quibus plura explicite credere tenemur: *sacramentalia* demum, quae Christus veteribus caeremonialibus subrogavit.

§. XXV.

Ut extremam huic articulo manum imponamus potiora inter utramque legem discriminis capita nobis adnotanda supersunt. Sex ea communiter enumerantur.

Discrimen 1. quoad *Legislatorem.* Quamquam utrumque testamentum Deum habuerit auctorem; primum tamen humanus Legislator Moyses Dei nomine filiis Israel nun-

(1) Jam a saeculo 4. eundem novatorum errorem invicte profligaverat D. Augustinus: videatur lib. 3. ad Bonifacium cap 4.

tiavit; (1) alterum per se Deus ipse caro factus inter homines constituit. Unde Apostolus ad Hebraeos cap. 1. v. 1. et 2. ait: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.*

2. Quoad *praeceptorum naturam*: Pentateuchum servitutis ac timoris continet legem; ibi namque a transgressione praeceptorum, quae gravia erant et plurima, poenis temporalibus deterrebantur Judaei. In Evangelio lex traditur amoris, quae tota in Dei ac proximi caritate fundatur; (2) *non enim,* inquiebat Paulus ad Rom. cap. 8. v. 15., *non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum* (3).

3. Quoad *significationem*. Lex vetus typus erat eorum, quae in plenitudine temporum fieri debebant: (4) nova complementum est figurarum atque perfectio.

4. Quoad *promulgationis modum*. Ex eo etiam utrumque foedus potissime discerni-

(1) Exodi cap. 24. v. 3.

(2) Matthaei cap. 22. v. 40.

(3) Utramque legem insimul conferens D. Augustinus lib. contra Adimantum Manichaei discipulum hac ratione concludit cap. 17. N. 2. -- Haec est brevissima et apertissima differentia duorum testamentorum: timor, et amor. Illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet —.

(4) Ep. ad Hebraeos cap. 10. v. 1.

tur, quod unum in tabulis lapideis fuerit signatum, alterum in cordibus hominum per gratiam divinitus conscriptum. (1)

5. Quoad *effectus*. Jubebat quidem lex Mosis, gratiae vero auxilia minime conferebat. Quocirca jure appellavit gentium Apostolus judaeorum ritus *infirma et egena elementa*. (2) Contra, imperat lex Christi non modo, sed justificandi vim habet. (3)

6. Quoad *perpetuitatem*. Translato demum Sacerdotio, legem veterem jam pridem excidisse constat ex demonstratis (§. XXII.). At cum Sacerdotium Christi in sempiternum sit permansurum (4), nullo tempore usque ad saeculi consummationem lex nova interibit. Ex hactenus instituta comparatione manifesto jam elucet antiquo judaeorum foederi maximopere legem Christi Evangelicam praestare. (5)

(1) Vide Augustinum Quaest. 21. in Deuteronomium.
(2) Ep. ad Galatas cap. 4. v. 9.
(3) Ep. 1. ad Corinthios cap. 6. v. 11.
(4) Ep. ad Hebraeos cap. 7. v. 17. 21. et 24.
(5) Plura, quae in hoc art. desiderari possent videantur apud D. Thomam 1. 2. a Quaest. 97. ad 108; Bergerium de vera Religione tom. 6. cap. 5; et Valsecchium -- Dei Fondamenti della Religione -- lib. 2.

CAPUT SECUNDUM

DE LEGE HUMANA.

§. XXVI.

Cum nec plurimis occurrere malis, nec maximis eorum necessitatibus consulere valeant mortales, nisi vitam in statu sociali traducant; jam in comperto est, naturae humanae societatem adeo convenire, ut si ab ea remotus omnino quis foret, non immerito prae ceteris animantibus miserrimus haberetur. Est ergo societas homini penitus necessaria. Haec autem triplicem statum *familiae, civitatis* ac *nationum* complectitur. Ad statum *familiae* pertinent societas conjugalis ad generis humani procreationem inita; societas paterna e munere parentum exorta, quo prolem tenentur alere ac tueri; societas denique herilis, quae dominorum respicit in servos potestatem, itemque servorum erga dominos officia. Status *civitatis*, qui latiori quoque sensu reipublicae statum, regni atque imperii simul comprehendit, est hominum societas ad secure feliciterque vivendum iisdem sub legibus constituta. Tandem *nationum* status ille est, qui plures inter populos ad invicem habetur. Hinc variae inter homines exurgunt familiae, civitatis, nationum obligationes, et munia, quae

tamen persaepe laeduntur non sine gravi societatis discrimine. Lex quidem naturae transgressiones hujusmodi puniri jubet: verum quaenam irrogandae sint poenae criminibus particulatim non decernit. Supremum ergo in societate Magisterium existat oportet, quod juris naturalis suppleat vices; quod in officiis homines contineat; quod justam designet rationem, qua pro temporibus deceat in malefacta animadvertere. Id vero nonnisi per leges idoneas fieri datum est. Tantum igitur necessariae sunt leges humanae, quantum interest hominum societatem servare (1). Hujusmodi porro legum quaenam sint essentiales proprietates ex earum definitione plane consequitur. Dicitur enim lex humana generatim inspecta *ordinatio justa, communis, atque perpetua ad publicum bonum ab eo promulgata; qui humanae societatis moderandae jus habet. Justitia* potissimum inesse debet cuilibet humanae legi, secus ab aeterna lege, a qua, veluti a fonte, eadem promanat, omnino descisceret. (2) Atque tum apprime justa lex appellabitur, si ejus objectum honestum sit

(1) Ad necessitatem legum denotandam Cicero in orat. pro Cluentio eas non dubitat nervos et sanguinem reipublicae nuncupare: haec quippe in corpore si desint, illud nec movetur, nec vivit.

(2) Institut. §. VII. Hic apposite D. Augustinus ait lib. de libero arb. cap. 5. Mihi lex esse non videtur, quae justa non fuerit: vide D. Thomam 1. 2. Quaest. 96. art. 4.

ac possibile; si in ipsa ferenda suae potestatis fines non excedat Legislator; si in onerum distributione quaedam extet proportionis aequalitas, ne subditorum vires plus aequo graventur. *Universalitas* quoque legibus humanis competit, cum istae non singulari personae, sed communitati universae imponantur, vel saltem alicui personarum conditioni. (1) *Perpetuitas* demum accedit, qua lex firmiter consistat necesse est, quousque ab imperante revocetur, vel temporis lapsu noxia aut inanis evadat. Hisce de necessitate, ac proprietatibus legum humanarum breviter enucleatis, animadvertere insuper juvat, legem quandoque in alicujus favorem conditam esse; saepe in transgressores poenas indicere; interdum etiam nonnulla hominum facta pro irritis decernere. Hinc varia genera legum *favorabilium*, *poenalium*, *irritantium*, de quibus cursim per articulos disputandum.

ARTICULUS PRIMUS

De Lege favorabili.

§. XXVII.

Lex *favorabilis*, seu *privilegium* ex jure communi definiri potest *Lex privata aliquid*

(1) L. Jura dig. de legib. — Jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur. —

speciale indulgens. (1) Definitio paucis elucidatur. Privilegium 1. *Lex* est, non quidem pro eo, in cujus gratiam illud conceditur, sed respectu communitatis, cui nefas est privilegii legitime obtenti usum impedire.

2. Dicitur *lex privata,* quia non subditis universim, sed uni, aut plurium personarum etiam peculiari communitati vel conditioni tribuitur. Neque exinde inferatur necessariam hisce legibus deesse proprietatem, cum per se in societatis bonum eae prorsus non cedant. (2) Bono quippe societatis maxime confert, privilegiis, quae nonnisi justa de causa danda sunt, de Ecclesia vel de Republica optime meritos remunerari.

3. Tandem *aliquid speciale indulget contra,* vel *praeter* jus commune. *Contra jus* res vel actus permittitur, si legi adversetur: *praeter* jus autem, si lex rem vel actum non vetet, sed nec omnibus concedat. Ad primum genus attinet immunitas a decimis solvendis, aut regularium a jurisdictione Episcoporum exemptio: ad alterum facultas dispensandi vel absolvendi a reservatis.

§. XXVIII.

Privilegiorum variae sunt species.

1. Namque distinguitur privilegium in

(1) Cap. Privilegia 3. dist. 3; et cap. de Abbate 25. de verbor. significatione. (2) Vide Institut. §. 11. N. 3.

reale, ac *personale*. Illud rei adnectitur, loco videlicet, muneri, dignitati; perseverat quamdiu res eadem existit, ideo cum illa ad successores vel haeredes pertransit: personae tantummodo istud proxime confertur, et cum ea cessat juxta regulam 7. juris in 6. *privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona.*

2. Item vel *remuneratorium* est privilegium, vel mere *gratiosum*. Primum alicujus meritis ac laboribus datur, nec nisi gravi de causa, adjectaque compensatione, revocari potest: alterum ad nutum revocatur concedentis, cum non meritorum intuitu, sed ex gratia tantum ac benevolentia fuerit conlatum.

3. *Temporale* insuper dicitur privilegium, cui tempus aliquod praestituitur: contra *perpetuum* est, si ad tempus indefinitum perseveret.

4. *Favorabile* illud est privilegium, quod uni ita prodest, ut nemini obsit: *odiosum*, quod juri communi vel privatorum adversatur.

5. Denique privilegium aliud est *purum*, aliud *conventionale*. In priore nulla intercedit pactio, nullamque contrahit obligationem qui privilegium recipit: postremum obligationem inducit aliquid agendi vel tribuendi, ac specie quadam emptionis comparatur.

§. XXIX.

Plures numerantur modi, quibus privilegium extinguitur.

Hoc desinit 1. si *personale* sit per obitum illius, cui fuerat collatum, quemadmodum indicavimus (§. praec;) tum etiam persona intereunte, quae privilegium contulit, si tamen in concessionis decreto favor duraturus exprimatur *usque ad beneplacitum* concedentis. (1)

2. Cessat privilegium *reale*, si res, quibus illud inhaerebat, Ecclesia nempe, Civitas, Collegium, Monasterium, aliaque id generis pereant, vel dissolvantur, nulla spe reparationis aut restitutionis manente. (2)

3. Per se decidit privilegium *temporarium*, tempore dilabente, ad quod fuerat elargitum, (3) ejusve principali causa tota cessante, cum privilegium non perseveret ultra concedentis intentionem. (4) Verum ob causae cessationem tum tantum id evenire plures existimant juris scriptores, cum juri communi, aut aliorum utilitati privilegium adversetur. (5)

(1) Cap. Si gratiose 5. de rescriptis in 6.

(2) Cap. Accessorium 42. de Reg. Jur. in 6. et cap. Placuit 26. dist. 1. de consec.

(3) Cap. De causis 4. de offic. judic. deleg.

(4) Cap. Cum cessante 60. de appellation.

(5) Vide Suarezium lib. 8. de legibus cap. 30.

4. Perimitur quoque *renunciatione* privilegium, dummodo nec vi nec metu ea fuerit extorta, *cum liberum sit unicuique juri suo renuntiare.* (1) Ab hoc generali principio geminus casus excipitur. In primis enim privilegio nemini renunciare fas est, si in bonum communitatis, dignitatis, ordinis alicujus illud potius concessum sit, quam in personae singularis favorem. (2) Quocirca neque clerico *Fori* (3), *et Canonis* (4) privilegium, neque Regulari jus *exemptionis* (5) abdicare licebit. Eidem exceptioni subjicitur privilegium, si circa rem versetur, quae aliunde fuerit praecepta. Sic ad exemplum, qui audiendi Sacri tempore interdicti privilegio gaudet, huic renunciare nequit, urgente Ecclesiae praecepto, quo die festo quisque fidelis Sacro interesse tenetur.

5. Abrogatur privilegium per *revocationem*, quae a concedente, ejusve successore expresse vel etiam tacite fieri potest. Haec autem ut licita sit, causa intercedat oportet justa simul et gravis, eoque gravior, si privilegium remunerativum sit revocandum. (6)

(1) Cap. Si de terra 6. de privilegiis.
(2) Cap. Si diligenti 32. de foro competenti.
(3) Ibidem.
(4) Cap. Contingit 36. de sentent. excommunic.
(5) Cap. Cum tempore 5. de arbitr. N. 2.
(6) Cap. Suggestum 9. de decimis.

6. Privilegium aufertur *per abusum;* et recte sane, *quia privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.* (1) Verum ad hoc sententia requiritur judicis declaratoria, ni tamen adsit conditio de privilegio *ipso facto* propter abusum amittendo.

7. Tandem cum privilegium in aliorum detrimentum cedat, *per usum contrarium* tollitur si negativum sit; *per non usum* si affirmativum, dummodo tempus legitimae praescriptionis advenerit. (2) Hinc, posita exemptione a decimis solvendis, posita imponendi tributi facultate; si contra primum privilegium quis agat, si altero non utatur tempore ad praescriptionem sufficienti, utrumque necessario amittit, cum suo juri penitus renunciasse videatur. (3)

ARTICULUS SECUNDUS

De Lege Poenali.

§. XXX.

Plerumque contingit, homines in officio magis contineri formidine poenae, quam vir-

(1) Cap. Ut privilegia 13. de privilegiis.

(2) Arg. Cap. Cum accessissent 8. de constitutionibus; et lege nundinis 1. dig. de nundinis.

(3) Quae brevi de privilegiis exaravimus fusius tradita legi poterunt apud Suarezium loc. cit; Ferrarium. Bibliot. Can. verb. privilegium, Ligorium tom. 1. append. 2. et Gerdilium tom. 17. op. theol. mor. lib. 2. disput. 13.

tutis amore. Conspicuum ergo est, quantopere expediat communi societatis bono, leges humanas ab iis, qui rerum tenent publicarum summam, utili sanctione roborari. Hinc legum *poenalium* necessitas, quarum aliae *mixtae* appellantur, aliae *mere poenales*: Lex poenalis *mixta* ea est, quae praeceptum simul continet, ac poenam in transgressores denuntiat. En hujusce legis exemplar: *Nemo inter cives armatus incedat: Qui secus egerit carceri tradetur.* Lex *pure ac simpliciter poenalis* vocatur, quae nullum praeceptum, sed poenam tantum subeundam expresse constituit, uti si dicatur: *Qui nocturno tempore lumen deferre neglexerit pecunia multetur.* Quoad leges poenales non levis inter catholicos scriptores controversia viget. Arbitrantur nonnulli cum Navarro leges humanas praecipientes, aut vetantes, quae poenae sanctionem adjectam habent, ad poenam temporariam obligare dumtaxat, si uno ex capite Legislator poenam decernat, si ex altero de ipsius voluntate certo non constet obligandi subditos in conscientia. (1) Censent aliqui leges mere poenales non quidem ad actum, sed ad poenam obligare, posita legis transgressione. (2) Alii

(1) Navarrus in manual. cap. 23. N. 55.

(2) Anacletus in jur. canon. lib. 1. decret. tit. 2. de const.

demum nullam agnoscunt legem poenalem, quae mixta dicenda non sit, quaeque idcirco ad culpam non obliget; cum ejusmodi naturae sit lex quaelibet, ut per eam subditus ad agendum vel non agendum semper adstringatur. (1) Interim vero, quid in re tam salebrosa, quid in hac opinionum colluctatione dicendum?

§. XXXI.

Si de legibus poenalibus mixtis sermo sit, eas in conscientiae foro obligare adversus Navarrum asserimus ex communi theologorum sententia. Ex definitis namque (§. XXX.) praeceptum in iis traditur absolutum. Atqui lex absolute praecipiens in foro conscientiae obligationem inducit, ut infra monstrabimus. Idipsum ergo de lege poenali mixta concludendum. Nec officit sane, quod simul poenam haec transgressoribus indicat: poenarum etenim adjectio vim non adimit legi, sed eam validius confirmat. Eo luculentius veritas apparet, si consideremus, protoparentes generis humani vere obstrinxisse divinum praeceptum, quod referunt verba Geneseos cap. 2. v. 17. *de ligno scientiae boni et mali ne comedas;* quamquam poenam

(1) Ita sentiunt Sylvester, Sotus, Sylvius, et Gotti, eorumque doctrinae consentire videntur quae tradit D. Thomas 1. 2. Quaest. 90. art. 1. Quaest. 96. art. 4. et 2. 2. Quaest. 186. art. 9. ad 1.

iisdem interminasset Omnipotens Creator dicens: *quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* (1)

§. XXXII.

Leges item, quae mere poenales nuncupantur, non modo ad poenam obligant, verum etiam ad culpam. Cum enim et istae, fatentibus quoque adversae sententiae patronis, vere ac proprie dicendae sint leges, justitiae congruant oportet (§. XXVI.) *Si justae sunt, habent ergo vim obligandi in foro conscientiae.* (2) Doctrinam hujusmodi prae ceteris apertis ulnis amplectitur Card. Hyacintus Gerdilius tom. 17. op. tract. de legibus disput. 8. cap. 1. de lege poenal §. 3; cujus verba heic non pigeat audire: = Legislator, qui poenam constituit adversus violatores legis, vult sane legem suam servari; nec poenam sancit, nisi ut subjecti efficacius inducantur ad eam servandam. Ergo ejusmodi leges revera praecipientes sunt, tametsi praecipiendi verbum non adhibeant.

(1) In lege poenali mixta particulam copulativam usurpari posse, vel etiam disjunctivam, apposite animadvertit Card. Gotti theol. schol. dogm. tom. 8. tract. de legib. Quaest. 6. dub. 2. Si copulative lex denuntietur, ad actum sub culpae reatu absolute, ac simpliciter obligat. Si vero disjunctive ea fuerit expressa, tum sub reatu culpae, non quidem simpliciter et absolute subditos ad actum constringit, sed ad utramlibet e duobus disjunctis, actum scilicet, vel poenam, pro arbitratu deligendum.

(2) Ita D. Thomas 1. 2. Quaest. 96. art. 4.

Ex. caus. reperiuntur in jure leges nonnullae, quae in hunc fere modum statuunt. *Qui nummos aureos finxerit, summo supplicio affici debet.* Tametsi Legislator dissertis verbis non exprimat prohibere se, ne nummos quis fingere audeat, tamen satis explorate ostendit, voluntatem legis hanc esse, ne nummi effingantur. Quamobrem leges hujusmodi, quae pure poenales dicuntur ab adversariis, implicite praeceptum continent, ne id fiat, cui poena adjuncta est. Sunt ergo, si non expressis verbis, saltem vi, et potestate leges mixtae ex praeceptione, et sanctione, quas conscientiam obligare nec ipsi adversarii diffitentur =.

§. XXXIII.

At si compertum sit, Legislatorem nolle sub culpa obligare, tum lex poenalis conscientiam non devincit; tota quippe legis obligatio a Legislatoris voluntate dependet. Qua in hypothesi lex poenalis nonnisi improprie legis vocabulo appellatur, cum ea veluti norma habenda sit potius simpliciter consulens ac dirigens, quam obligans et jubens. Ad hoc referuntur genus plurima urbium, oppidorum, communitatum civilia statuta, nonnullorum Ordinum etiam regularium ecclesiasticae constitutiones, in quibus *non omnia traduntur per modum prae-*

circumventi status jacturam facile paterentur, nisi eorum utilitati provisum foret per leges, quae nonnullos actus infirmant, quaeque idcirco peculiari nomine *irritantes* vocantur. Quilibet actus irritus fieri potest a lege *vel ipso jure*, si nullius roboris decernatur, *vel per judicis sententiam*, si lex jubeat, ut actus a judice infirmetur. *Ipso* autem *jure* tum irritus actus evadit, cum vel persona ad illum inhabilis redditur, vel actus declaratur invalidus, vel praescribuntur forma et conditiones, quibus non servatis, actus firmitatem non consequitur. Lex irritans duplex: *poenalis*, et *legalis*. Prior ea est, qua irritus efficitur actus criminosus in ipsius odium, ac poenam; uti contingit in electione simoniaca ad beneficium, quae *ipso jure* nulla est in peccati vindictam. Altera non in odium vel poenam criminis actum irritat, sed in privatae personae vel communitatis favorem. Hac ratione, ut exemplis utamur, matrimonia clandestina irritantur, contractus initi a pupillo absque tutoris assensu, testamenta, quibus desint requisitae solemnitates.

§. XXXVI.

Bina quaestio resolvenda quoad legem irritantem heic nobis occurrit. Inquirunt nempe Doctores, utrum omnis lex prohibens

irritans quoque sit, ac vicissim utrum actus, cui valorem adimit omnis lex irritans, simul etiam prohibeatur. Ad primum dubium elucidandum sat erit conferre librum 3. Decretalium *tit.* 3. *cap.* 16. *de Regularib;* cujus haec sunt verba: *Multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint obtinent firmitatem.* En ratio, cur, quamvis illicite, valide semper tamen contrahitur conjugium, uno vel altero ex iis impedimentis obstante, quae vulgo *impedientia* nuncupantur. Quod autem de legibus ecclesiasticis ostenditur, id aeque de civilibus asserendum est: nihil enim impedit, quominus lex prohibens, non irritans a Legislatore instituatur, a quo vis legis omnino dependet. Hac ipsa de causa alterum dubium prorsus explanatur, ac tuto concluditur non omnes actus prohiberi qui legibus irritantur. Rem ut confirment sacrae theologiae scriptores legem producunt, qua dirimitur paternae haereditatis renunciatio, quae fit, recepta dote, a filia; cui nulla exinde imputatur culpa, quia lex ejusmodi renunciationem fieri non vetat. Maximum porro discrimen inter utramque legem prohibentem ac irritantem ut discernere quisque valeat, plura animadvertit Card. Gerdilius loc. sup. cit. cap. 4. §. 2; prop. 2; quae hic placet referre. = Ubi vero, inquit, leges non ita perspicue declarant, quae

dumtaxat prohibita, quae vero etiam irrita intelligenda sint, ejus rei judicium ex sequentibus peti poterit.

1. Si quod prohibetur suapte natura bonis moribus repugnat, pro nullo et infecto habendum est, nam pravitas, quae substantiae actus inhaeret, firmitati ejusdem perpetuo resistit...

2. Ex verbis, fine vel ratione legis interdum argumentum capi poterit, utrum lex àliquid tantum prohibeat, an id etiam nullum et infectum velit.

3. Idem innotescet ex usu et praxi judiciorum, ac magistratuum.

4. Ex communi etiam jurisconsultorum sententia =.

§. XXXVII.

Multipliciter impediri potest legum irritantium effectus: quanam autem ratione id contingere valeat, sequentes regulae indicabunt.

Regula 1. Cum penitus lateat actus per sententiam judicis dirimendus, tum locum non habet irritatio: actu siquidem occulto manente, in foro externo hic probari non poterit, ideo nec a judice rescindi.

Regula 2. Item, quamquam notus sit, invalidus non efficitur actus, si irritationem non postulent ii, quorum interest, actum

infirmari, vel si fraude qualibet, vique remota, partes inter se mutuo conveniant priusquam sententia feratur. Exemplo sit emptionis contractus, cujus irritatio impeditur, si ultra pretium dimidium qui laesus fuerit actionem non instituat pro contractu solvendo; si damni compensationem assequatur; sive etiam forte in pactione sibi noxia libere consentiat.

Regula 3. Idipsum concludatur oportet quoties ille, cui competit jus actionis ad actum infirmandum adeo fuerit in mora, ut legitimum tempus advenerit praescriptionis, qua intercedente jus actionis perimitur.

Regula 4. Si dumtaxat in culpae vindictam ipso jure decernatur actus irritatio, eam impedit prorsus tum legis irritantis, tum culpae ignoratio invincibilis. Cum enim in hypothesi culpa in agente non adsit, neque poena irritationis consequitur.

Regula 5. Contra vero si inducta sit irritatio non tam in poenam agentis, quam in odium actus criminosi, vel potissimum in bonum commune; haec non impeditur ignorantiae causa, quamvis agenti culpa non tribuatur. Id evenire perspicimus tum in electione ad beneficium per simoniam obtenta, tum in matrimonio, quod impedimento consanguinitatis vel affinitatis dirimitur. Utroque in casu excusari quidem po-

terunt ob ignorantiam qui beneficium recepit, qui conjugium iniere; at nihilosecius in odium simoniacae labis irrita est hujusmodi electio, irritum est conjugium inter consanguineos et affines, cum bonum commune id apprime requirat.

CAPUT TERTIUM

DE CAUSA LEGUM EFFICIENTE.

§. XXXVIII.

Causam legum effectricem primariam Deum esse perspicue satis ostendunt, quae superius cap. 1. jam tradita fuere. Admissa itaque in Deo Optimo Maximo eminenti legum ferendarum potestate, inquirere opus est cumprimis in quo ejusdem reponenda sit ratio sufficiens. Ea ne fortasse reperitur in Sapientia seorsim? An in Omnipotentia vel Bonitate? An potius in supremo dominio, quo Deus potitur in homines utpote rerum omnium Creator? Ut rectum hac in re judicium proferatur, sequentia duximus praenotanda.

1. Homo per leges divinas congruis mediis in finem sibi proprium est dirigendus. Id vero nunquam fiet, si in Deo sapientiae defectus habeatur. Ergo jus ferendi leges hominibus Deo convenit quatenus *Sapientissimus* est.

2. Divinae leges efficaces sint oportet; sanctione videlicet adeo sunt firmandae, ut ad earum custodiam homines inducantur. Sed haec efficacitas non haberetur, posito in Deo Legislatore potentiae defectu. Jus ergo ferendi leges Deo convenit, quatenus est *Omnipotens*.

3. Humanae naturae conformes esse debent leges divinae; nihil autem praecipere quod bonum, quod justum non sit: secus Divinae Sanctitati derogarent. Deo igitur convenit jus leges ferendi quatenus est *Summe Bonus*.

4. Demum inanes, immo indebitae prorsus forent leges divinae, si supremo Dei non subessent dominio rationales creaturae. At Deus ob creationem hujusmodi gaudet dominio. Jus itaque ferendi leges ipsi Deo convenit quatenus est *Creator*.

Quibus omnibus praejactis, argumentum ita concludimus. Ratio sufficiens divini legum condendarum juris in iis consistit proprietatibus cumulate sumptis, per quas Deo Legislatori competere jus ipsum ratio naturalis demonstrat. Verum ex dictis hoc jus Deo convenit utpote *Sapientissimo*, *Omnipotenti*, *Summe Bono*, hominumque *Creatori*. In hisce quatuor igitur proprietatibus sita est ratio sufficiens juris, quo Deus potest leges hominibus imponere. Hinc sponte

colligitur oppido hallucinari Hobbesium (1) et Spinosam (2) dum ab irresistibili Dei potentia jus, de quo disseruimus, unanimi sensu deducunt. Sola namque potentia ad jus constituendum non sufficit: secus non criminosa rapina foret, sed justa, cum a vi irresistibili procedat. Nec minus errare noscimus Puffendorfium, (3) qui e beneficiis a Deo nobis conlatis hoc jus inferre conatur. Nam largitati, beneficentiae debentur quidem grati animi sensus, non vero obedientia et subjectio. Item nec eorum, quos ibidem enumerat Puffendorfius, doctrinam recipimus, qua asseritur a divinitatis praecellentia tantum jus ferendi leges proficisci. Ceteris quippe sublatis, haec sola proprietas honorem, ac reverentiam, non tamen servitutem, non submissionem promeretur. Fallitur etiam Puffendorfii adnotator Barbeyracius cum a sola creatione arbitretur, hoc jus dimanare. Creator enim utique dominium habet in homines; verum nil aliud a solo dominio exoritur, quam absoluta potentia irresistibilis, quae, uti jam indicavimus, per se se jus efficere non valet.

(1) De cive cap. 15. de regno Dei per naturam §. v.
(2) Tractatu theologico-politico cap. 16.
(3) De jure nat. ac gent. lib. 10. cap. 6. §. iv.

§. XXXIX.

Dum porro agnoscimus in Deo primariam causam legum effectricem, aeque affirmamus earum duplicem causam secundariam inter homines existere. Harum prior in Ecclesia residet Christi, cujus Pastoribus legitimis Petri atque Apostolorum successoribus inest potestas edendi leges in bonum fidelium spirituale divinitus constituta. Id manifesto compertum est e pluribus Sacrarum Scripturarum locis, quorum nonnulla seligamus ad catholicam veritatem roborandam. Hac de re nobis praesertim occurrunt verba D. Pauli sic Ephesinos Antistites alloquentis actorum cap. 20. v. 28. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* At quomodo poterant ipsi *Ecclesiam Dei regere* nisi per sapientem legum oeconomiam? Hujusmodi porro divinum mandatum jam ab Ecclesiae incunabilis fideliter servarunt Apostoli, cum in Hierosolymitano conventu universis fratribus, qui erant Antiochiae, Syriae et Ciliciae, haec praecepta dedissent. *Visum est Spiritui S. et nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria; ut abstineatis ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione* (1).

(1) Actorum cap. 15. v. 28. 29.

Quid autem speciatim de Divo Paulo dicendum? Ad Thessalonicenses cum ille scriberet, ajebat ep. 1. cap. 4. v. 2. *Scitis, quae praecepta dederim vobis per Dominum Jesum.* Divina charitate flagrans ipse gentium Apostolus *perambulabat Syriam et Ciliciam confirmans Ecclesias, praecipiens custodire praecepta Apostolorum et Seniorum.* (1) Hic insuper, nonne vetuit ad Episcopatum assumi neophytos, quique duas habuerint uxores? (2) Nonne *sub duobus aut tribus testibus adversus Presbyterum accusationem recipiendam* jussit? (3) Nonne satanae tradidit sive incestuosum Corinthium, (4) sive etiam Alexandrum et Himenaeum? (5) Hisce adjiciatur, universae Ecclesiae ab aevo Apostolorum ad haec usque tempora perpetuo servata consuetudo, de qua disserens Augustinus ep. 54. ad Januarium concludit: *cur ita faciendum sit disputare, insolentissima insania est.* Cum igitur Divinae Literae Pastoribus Ecclesiae potestatem ferendi leges tam luculenter attribuant, cum eandem Apostoli eorumque legitimi successores semper et ubique exercuerint; jam patet,

(1) Actorum cap. 15. v. 41.
(2) 1. Ad Timotheum cap. 3. v. 2. et 6.
(3) Ibidem cap. 5. v. 19.
(4) 1. Ad Corinthios cap. 5. v. 5.
(5) 1. Ad Timotheum cap. 1. v. 20.

hanc ipsam potestatem neminem oppugnare posse, nisi fidem catholicam simul audeat ejurare.

§. XL.

Altera causa legum efficiens est civilis auctoritas, a qua politicum societatis regimen dependet. Hanc potestatem in primis asserunt divina oracula; nam Proverbiorum cap. 8. v. 15. Sapientia clamitat: *per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Hanc Synodus Constantiensis defendit sessionibus 8. et 15. adversus Wiclefum. Hanc denique in humana societate necessario existere debere hoc pacto naturali ratione suademur. Absque directione societas consistere nequit juxta illud Proverb. cap. 11. v. 14. *Ubi non est gubernator, populus corruet.* Ergo supremam potestatem existere necesse est, qua homines regantur. Atqui pro hac directione constituendum est quidquid expedit ad bonum commune; quod quidem sine legibus fieri non potest. Auctoritas ergo civilis jure gaudet imponendi leges hominibus ejus curae ac directioni subjectis.

§. XLI.

Vehementer heic obstrepunt sexti decimi saeculi novatores, quibus tradita non arri-

dent principia. Eorum antesignanus Lutherus tum ab ecclesiastica tum a civili potestate jus ferendi leges pro viribus eliminare nititur lib. de captivitate babylonica dicens: *clamo fidenter, Christianis nihil ullo jure posse imponi legum, sive ab hominibus, sive ab Angelis, nisi quantum volunt: liberi enim sumus ab omnibus.* In idem consentit lib. 4. Instit. Calvinus, ibique cap. 10. §.8. temere pronunciat, *Deum esse unicum Legislatorem: non licere hominibus id honoris sumere.* (1) Ut autem imperitos decipiant versipelles adversarii e Sacris Literis, quas in pravum sensum ex more detorquent, mutuantur subsidium. En loca praecipua, quae contra nos facere videntur. *Quod praecipio tibi, hoc tantum facito Domino,* inquit Deus Deuteronomii cap. 12. v. 32; *nec addas quidquam, nec minuas.* Item Apostolus 1. ad Corinth. cap. 7. v. 23. ait: *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum.* Tandem in ep. Jacobi cap. 4. v. 12. legitur: *Unus est Legislator, et Judex, qui potest perdere, et liberare.* Unde in sensu novatorum sic confici posset argumentum. Si divinis manda-

(1) Jam pridem hunc amplexus est errorem Judas Gallilaeus, de quo consulantur acta Apostolorum cap. 5. v. 37; et D. Hieronymus in caput 3. epistolae ad Titum. Luthero et Calvino praeiverant quoque Waldensas et Wiclefus, eosque sectati sunt Anabaptistae.

tis nefas est alia praecepta superaddere; si nemini, praeterquam Deo, subjiciendi sunt homines; si unus est dumtaxat Legislator Deus: nulla ergo inter mortales imperandi potestas.

§. XLII.

Sed incassum profecto adlaborant novatores, cum perspectam veritatem labefactare studeant per turpem Sacrarum Scripturarum abusum. Hinc pro singulis auctoritatibus vel pauca sat erit adnotare, ut per se corruat difficultas. Verba Deuteronomii si primitus conspiciamus, apparet, Deum jussisse, ne praeceptis judicialibus ac caeremonialibus quid adderent judaei ex ritibus gentium superstitiosis, a quibus populus Israel, cum diu inter Aegyptios degisset, alienus non erat. Verum si nefas erat quidquam legi contrarium statuere, non tamen praecepta interdicebantur eorum quae divina cum lege non pugnabant. Quod si detur etiam tum *contra* tum *praeter* divinam judaeis novas edere leges non licuisse; cur post veteris pacti abrogationem id Ecclesiae Christi non licebit? Sin autem de Apostolo sermo sit; hic certe non denegat Supremam in societate potestatem haberi, sed Christi fideles tantum hortatur, ne, posthabito Dei famulatu, ipsius mandatis praeferant inju-

stas hominum leges: quod est hominibus deservire juxta mentem D. Pauli, quemadmodum explicat Angelicus Doctor lect. 4. in hunc locum Apostoli. Postremo unus quidem, uti docet Jacobus, Legislator et Judex *primarius* Deus est, qui auctoritate sibi propria leges creaturis imponit. Id vero inter homines legislatores ac judices legitimos non excludit, quos ideo causas legum *secundarias* appellavimus, (1) quia eorum potestas a Summo Deo, veluti a fonte, promanat (2).

CAPUT QUARTUM

DE LEGUM OBLIGATIONE.

§. XLIII.

Necessitas aliquid agendi vel praetermittendi, ut culpa vitetur, *obligatio conscientiae* nuncupatur. Obligationem hujusmodi leges omnes generatim inducere, modo juste fuerint constitutae, sequentes animadversiones ostendunt.

Animadversio 1. Ut a lege divina exordiamur, sive aeterna, sive positiva ea sit, jam pro certo asserimus, Dei praecipientis voluntati obsistere qui ejus legem transgre-

(1) Institut. super. §. XXXIX.
(2) Ep. ad Romanos cap. 13. v. 1.

ditur. Qui divinae obsistit voluntati injuriam irrogat Supremo Creatori ac Domino, cui obsequium, amor, servitus debetur. Qui Deum offendit a culpa non excusatur. Ergo transgressio divinae legis culpam includit. Ad culpam igitur avertendam homo tenetur legi divinae obtemperare. Sed in hoc amussim conscientiae obligatio consistit ex definitis. Lex ergo divina hominum conscientiam adstringit.

Animadversio 2. Idipsum de lege humana Ecclesiastica ex Evangeliis firmissime demonstratur. Christus namque Lucae cap. 10. v. 16. sic Apostolis colloquitur: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit:* item Matthaei cap. 18. v. 17. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Porro si citra culpam infringi possent Ecclesiae mandata, ubinam Divinitatis spretus in eorum violatione haberetur? Cur eisdem non obsequentes ceu peccatores existimandi? Accedit praeterea Concilium Tridentinum veritatem catholicam hisce verbis definiens sessione 7. Can. 8. de Baptismo: = Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae Ecclesiae praeceptis, quae vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit =. In idem quoque consentit auctoritas

Romanorum Pontificum, qui laxiorum doctrinam adversantem proscripserunt sequentibus propositionibus contentam. = Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter =. Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus =. Primam e duabus propositionibus Alexander VII. damnavit: alteram Innocentius XI. Cum igitur ex praemissis Ecclesiae praecepta fideles servare teneantur sub culpa saepe etiam lethali, sponte jam consequitur, legem Ecclesiasticam in conscientia obligare.

Animadversio 3. Eadem prorsus ratione leges civiles constringere fatetur Apostolorum Princeps ep. 1. cap. 2. v. 13. 14. = Subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi quasi praecellenti; sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum =. Clarius adhuc inquit Doctor gentium ep. ad Romanos cap. 13. v. 2. 5. = Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam =. Unde sic brevi concludimus. Eae leges obligant in conscientia, quae si spernantur, homo divinae resistit ordinationi, justamque poenam meretur; quaeque custodiendae sunt,

non modo *propter iram,* metu scilicet vindictae; sed etiam *propter conscientiam,* hoc est ad culpam devitandam. Atqui ejusmodi sunt leges civiles, uti Scripturae Sacrae testantur. Leges ergo civiles indubitanter conscientiam devinciunt (1).

§. XLIV.

Mirum autem non est, quod perspectae nuperque firmatae catholicae doctrinae tam acriter obstet Lutherus. Cum enim is nullam in terris potestatem agnoscat, jus nullum praecipiendi; (2) ex hoc absurdo principio jam veluti consectarium necessario descendit, neque obligationem adesse legibus humanis obtemperandi. At quam infirma sint momenta rationum, quibus error adversarii fulcitur, summatim videamus.

Objicitur 1. Homines a quolibet legis vinculo per gratiam facti sunt liberi, Apostolo dicente: *Ubi spiritus Domini, ibi libertas:* (3) *non enim sub lege estis, sed sub gratia* (4). Nullam ergo leges conscientiae obligationem inducunt.

2. Ex eo difficultas magis roboratur, quod

(1) Quoad duplicem auctoritatem heic traditam prae ceteris consulantur P. Augustini Calmet elaboratissima commentaria tom. 8.

(2) Vide Institut. sup. §. XLI.

(3) Ep. 2. ad Corinth. cap. 3. v. 17.

(4) Ep. ad Rom. cap. 6. v. 14.

in foro sibi non competente neminem constringere potest Legislator. Sed forum conscientiae utpote spirituale, ac divinum non competit humano legislatori. Huic ergo nefas est, quemlibet in conscientiam ligare.

3. Illius proprium non est in conscientiae foro vinculum imponere, qui hoc ipsum nequit relaxare. Sed humanus legislator saltem civilis in conscientiae foro solvere non potest. Ergo nec poterit obligare.

4. Denique. Ut quisque aeternam beatitatem promereri valeat, satis est Evangelica Dei praecepta fideliter adimplere juxta illud Servatoris apud Matthaeum cap. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Inutilis ergo humanarum legum custodia. Sed nemo in conscientia ad inutilia tenetur. Ergo humanae leges non obligant in conscientia.

En potiora adversantium objecta, quae singula expeditissime resolvimus.

Ad 1. Itaque, duplici auctoritate Apostoli recepta; dicimus, ibi tantum liberos a lege ac servitute appellari fideles, tum quatenus veteri sub lege non amplius ii detinebantur; tum potissimum quia per Christi mortem fuerant a daemonis captivitate, a peccati vinculo, ab aeterna damnatione soluti. Verum spiritalis haec libertas, quam juxta Pauli verba lex gratiae intulit in mundum,

haudquaquam dirimit legum humanarum obligationem, quibus Ecclesia, vel civilis regitur societas. Hoc adeo indubitatum est, ut Apostolus ipse hujusce libertatis assertor potestatibus sublimioribus quemque subjici non semel praecipiat.

Ad 2. Conscientiae forum, quamquam spirituale sit ac divinum Ecclesiae profecto competit: ejus namque Pastoribus dixerat Christus in Evangelio Matthaei cap. 18. v. 18. *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in Coelo.* Sin autem de politica potestate sermo sit, fatemur quidem conscientiae forum utpote spirituale ac divinum ei convenire non posse ratione objecti, quod in actione mere temporali consistit: verum civili etiam auctoritati ratione obligationis, quam inducit, aliquo sensu jure competere dicitur forum conscientiae, quatenus, Deo sic jubente, lex civilis adeo conscientiam adstringat, ut qui legi resistit, divinae ordinationi adversetur.

Ad 3. Tota in ambiguitate sita est hujusce argumenti fallacia. Duplex enim vinculum esse potest, quo quis in conscientiae foro detinetur. Unum est ipsamet legis servandae obligatio, quam pro lubitu aufert qui legem constituit: alterum est noxa, quae ob legis transgressionem contrahitur, quamque per se tollere nequit auctoritas civilis, cum non-

nisi per Christi gratiam in foro conscientiae culpa deleatur. Hisce elucidatis, argumentum oppositum hoc pacto retorquetur. Ei datum est in conscientiae foro ligare, qui potest et solvere. Atqui legislator civilis in foro conscientiae solvere potest auferendo obligationis vinculum, quod imposuerat. Nihil ergo impedit, quin subditos ille possit in conscientiae foro constringere.

Ad 4. Damus libenter, neminem ad inutilia teneri. Concedimus quoque ad finem ultimum assequendum custodiam sufficere mandatorum, quae in Evangelio continentur. Verum exinde consequi, leges humanas et inanes fore, et conscientiam non obligare, id absolute prorsus negamus. Christus etenim nonne praeceptum imponit Matthaei cap. 22. v. 21. dicens: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari?* Mandata ergo Evangelica non servantur apprime, nisi legibus humanis obtemperetur. Sed legem Evangelicam servare necesse est ad salutem. Idipsum ergo de legibus humanis concludendum. Sed citra culpam illud praetermitti nefas est, quod salutis aeternae consecutio necessario requirit. Sub culpa igitur leges humanae devinciunt, seu, quod idem est, conscientiae pariunt obligationem. (1)

(1) De humanarum legum obligatione plura utiliter legi poterunt apud D. Thomam 1. 2. Quaest. 96. art. 4. Vincentium

§. XLV.

Verum talis ne est humanarum legum conditio, ut a consensu populi vim obligandi recipiant? Pro parte affirmante nonnulli pugnarunt scriptores quibusdam juris auctoritatibus innixi: (1) alii longe plures atque gravissimi adversantur. In controversia proposita ut veritas clarius appareat, leges Ecclesiasticas a civilibus discernere juvabit. In primis itaque si de Ecclesiae legibus disseramus, nobis audire sufficiat Benedictum XIV. lib. 13. de Synodo dioecesana cap. 4. N. 4. = Ex eo, quod, ait Immortalis Pontifex, potestas ferendi leges sit in Episcopis, aut immediate a Christo, aut a Summo Pontifice, cui est a Christo immediate collata, necessario etiam consequitur earum firmitatem nequaquam pendere a populi acceptatione, sed ab unico legislatore vires sortiri, quibus unumquemque quantumvis reluctantem constringant, nisi forte a justitia certo deficiant, ex cujus defectu sint irritae; quemadmodum bene perpendit Suarez

Card. Gotti tom. 8: opuscul. jam cit. tract. de legib. Quaest. 6. dub. 1., Laurentium Berti theologic. disciplin, lib. 20. cap. 14., et Gabrielem Antoine tom. 1. part. 2. tractat. de legib. cap. 2.

(1) Huic opinioni adhaesere Navarrus in manuali cap. 23., Gersonius de vita spirit. lect. 4. Petrus de Marca lib. 2. de concord. Sacerd. et Imp. cap. 16. aliique inter hispanos, quos citat ac refellit Laur. Berti ibidem cap. 13.

lib. 4. de legib. cap. 16. *per totum*, ubi merito etiam animadvertit, oppositam opinionem, quam aliqui ausi sunt venditare, componi non posse cum fide, qua credimus Ecclesiae regimen fuisse a Christo commissum Romano Pontifici, in cujus sollicitudinis partem ceteri vocati sunt particularium Ecclesiarum Antistites =.

Quoad leges porro civiles: cum pro varia regiminis forma, qua societas coalescere potest, vel penes populum in statu democratico, vel in aristocratico inter optimates, vel in monarchico apud Supremum Imperantem consistere valeat potestas legislatrix; hinc non idem pro singulis statibus judicium ferendum. Nam si democraticum, aut etiam democratia mixtum regimen effingatur, tum quoniam in hypothesi vel penitus, vel ex parte saltem ad populum attinet summa rerum; leges constitui, vimque obligandi acquirere nequeunt, nisi consensus populi accedat, eorum scilicet, qui pro munere populum repraesentant. Opposita ratione in Optimatum vel Principis regimine, cum nulla in populo maneat imperandi facultas, neque ab ejus consensu vis et obligatio legum dependet. Firmatur haec veritas Alexandri VII. auctoritate, qui sequentem confixit propositionem: *populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a*

principe promulgatam. Ex quo sic facile concludimus: lex a Supremo Imperante promulgata vim obligandi non habet a populi consensu, si ad ipsam acceptandam populus teneatur. Ad hoc vero ille tenetur ex praemissis. Ea igitur a populi consensu vim obligandi non acquirit (1).

§. XLVI.

Haec tamen obligatio, de qua plura jam tradidimus, nunquam induci poterit, nisi lex sufficienter promulgetur. Vocabulo promulgationis designatur authentica legis notificatio voce, vel scriptis legumlatoris nomine expressa, ob quam legis existentia subditis innotescere potest. Maximam promulgationis necessitatem sola duce ratione hisce verbis demonstrat Angelicus Doctor 1. 2. Quaest. 90. art. 4. = Lex imponitur aliis

(1) Hactenus probatis duo haec in corpore juris contenta officere videntur: nempe — Leges nulla alia ex causa nos tenent, quam quod judicio populi receptae sunt — Leg. de quibus 32. §. de legib. — Leges instituuntur, cum promulgantur: firmantur, cum moribus utentium approbantur — Distinct. 4. can. in istis. Verum tota evanescit difficultas, si rite uterque locus intelligatur. Ad rem prior non facit, cum ad eas referatur constitutiones, quae, pulsis jam ab urba Tarquiniis, in romana republica edebantur, quo tempore juris auctoritate populus gaudebat. In altero cum utentium moribus leges approbari dicantur, hoc unum ostenditur, per legum observantiam impediri earum abrogationem, quae desuetudine eveniret.

Vide Cardin. Gerdilii tom. 17. jam alibi cit. de leg. disp. 4. cap. 4.

per modum regulae ac mensurae. Regula autem et mensura imponitur per hoc, quod applicatur his, quae regulantur et mensurantur. Unde ad hoc, quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet, quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem =.

CAPUT QUINTUM

DE LEGUM OBJECTO.

§. XLVII.

Objectum, seu materia legis id appellatur, quod agendum, vel praetermittendum jubet suprema quaelibet potestas. Cum autem duplicis generis lex esse possit ratione causae, a qua proficiscitur, divina scilicet vel humana; cumque inter leges divinas aliae per se necessariae sint, atque immutabiles, (1) aliae a libero Dei numine dependeant, (2) hinc varia distinguuntur earumdem legum objecta. Quod ut probe noscatur, plura singulatim heic adnotanda proponimus.

(1) Inst. cap. 1. art. 1, et 2.
(2) Ibid. art. 3.

1. Quoniam lex aeterna ex (§. IV.) est ipsamet divina voluntas praescribens universalis ordinis custodiam, transgressionem vetans, jam consequens est hujusce legis veluti praecipientis objectum fore quidquid cum ordine universali necessario congruit; objectum vero ejusdem esse legis utpote prohibentis quidquid huic ordini per se adversatur. Sed ordini universali quod necessario convenit vel repugnat, illud *intrinsece* bonum aut malum est. Quod igitur iutrinsecam bonitatem vel malitiam habet, necessarium est ac proprium legis aeternae jubentis aut vetantis objectum.

2. Non secus de legis naturalis objecto concludimus. Ea siquidem legis aeternae participatio cum sit, illud necessario praescribit, quod est naturae hominis rationali conforme; contra, quod eidem opponitur omnino interdicit. (§. VIII.) Sic ad materiam legi naturali subjectam pertinent cultus Dei, honor parentum, ceteraque hujusmodi in Decalogo expressa.

3. At si de legibus agatur positivis, quae a libera Dei voluntate procedunt; eae profecto circa materiam versantur, quae ab aeterna lege ac naturali nec praecepta nec vetita est. Quapropter objectum legis positivae divinae summopere differt a legis aeternae ac naturalis objecto, quia necessa-

rium non est, neque *intrinsece* bonum aut malum, sed alterutram moralitatis speciem *extrinsece* tantum adquirit vi praecepti, quo actio vel ponenda vel omittenda decernitur. Tale erat in antiquo foedere legum caeremonialium et judicialium objectum.

4. Postremo si de legibus humanis sermo sit, inter plurima objecta distinguamus oportet, quae vel *juxta*, vel *contra*, vel *praeter* legem divinam esse possunt. Ad primum genus objecta si referantur, nemo sane inficiabitur, per leges humanas nova sanctione firmari posse, quae divinis legibus aliunde sunt constituta. In dubium enim revocari nequit humano legislatori jus esse blasphemiam e. c., furtum, homicidium vetare, quamvis haec ipsa in Decalogo prohibeantur. Verum in hypothesi, qua objectum divinae legi opponatur, indubium est, illud humana praecipi auctoritate non licere. Lex quippe humana, ut lex dici queat, justitia vacare non debet (§. XXVI.) At justa ea nunquam erit, si cum lege divina pugnet; nam potestas quaelibet humana cum a Deo promanet (§. VII.) divinae auctoritati derogare non potest juxta illud actuum Apostolorum cap. 5. v. 29. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Tandem permulta sunt divina lege nec vetita, nec praecepta, quae bono societatis ecclesiasticae vel civilis

expediunt, immo sunt necessaria. Haec vero decernere maxime convenit humanae auctoritati. Ea cuncta igitur, quae sunt praeter legem divinam, quaeque conferunt bono communi, potest lex humana, tamquam objectum sibi proprium, constituere.

§. XLVIII.

Interim in objecto legum humanarum perquirendo sciscitari quis potest, num earum sit omnia cohibere vitia, omnia praecipere virtutum officia. Paucis dubium resolvit Angelicus Doctor 1. 2. Q. 96. art. 3. ad 1. dicens: = Lex humana non prohibet omnes actus vitiosos secundum obligationem praecepti, sicut nec praecipit omnes actus virtuosos: prohibet tamen aliquos actus singulorum vitiorum, sicut etiam praecipit quosdam actus singularum virtutum =. Hujusce duplicis resolutionis ex eo deducitur fundamentum, quod lex humana est *ordinatio communis*, hominum videlicet conditioni sic attemperata, ut vel omnibus universim, vel majori saltem communitatis parti moraliter sit possibilis: aliter nec ad bonum societatis conduceret, nec justa foret, cum nemo ad impossibilia teneatur. Quo posito fundamento, rem clarius quatuor hisce adnotationibus explanandam suscipimus.

1. Si cuncta mala moralia per legem hu-

manam coercenda forent, ea in primis accommodata non esset hominum multitudini, cum plerique careant virtute ac perfectione, quae ad omnes vitiorum actus devitandos est requisita. Praeterea, mala quaedam si legibus humanis auferri vellent, deteriora quandoque in societatis perniciem consequerentur. Ne igitur absurde dicatur, legem humanam non esse communem ordinationem, recte potius concludendum erit, omnia vitia per eam cohiberi non posse.

2. Plura tamen et gravia quidem sunt vitia, quae jus invadunt alienum, quae scandalum pariunt, quae mores corrumpunt, quae pacem societatis perturbant. Haec sunt profecto materia legis humanae, ideo prohibenda, ac vindicanda; cum bonum commune id potissimum exquirat. (1)

3. = Lex humana ponitur multitudini hominum, in qua major pars est hominum non perfectorum virtute: = ita D. Thomas ibid. art. 2. Ergo non omnia virtutum officia ab humano legislatore sunt praecipienda. Earum enim sunt actus quidam praestantissimi simul ac perdifficiles, ad quos nec universae

(1) In id penitus consentit D. Thom. ibid. art. 2. hisce verbis: — Lege humana non prohibentur omnia vitia, a quibus virtuosi abstinent, sed solum graviora, a quibus possibile est, majorem partem multitudinis abstinere, et praecipue quae sunt in nocumentum aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset —.

multitudini nec plerisque suppetunt vires, sed paucioribus ac perfectioribus. Talis est virginitas, regularis professio, rerum temporalium abdicatio, aliaque id generis omnibus moraliter impossibilia: tales quoque sunt actus, quos mutilationis vel mortis periculum, famae aut bonorum jactura comitantur, vel consequuntur.

4. Quamplurima denique sunt, licet ardua, virtutum officia, quae ad materiam pertinent legis humanae, si ad publicum, aut spirituale proximi bonum ea vel maxime conferant; si hujusmodi officiorum defectus in Dei, ejusque religionis contemptum vertatur; si demum iisdem officiis quispiam se se libere devoveat. Hac ratione humanae, ecclesiasticae nempe legis fiunt objectum sive caelibatus pro iis, qui ad Sacros ordines contendunt, sive etiam regularium constitutiones: quae onera adeo devinciunt, ut in graviter delinquentes non levibus poenis jure animadvertat Ecclesia (1).

§. XLIX.

Hisce concise enucleatis de actibus externis circa quos versari possunt leges humanae, age nunc videamus num ad earum

(1) Praeter ea, quae tradit cit. loc. D. Thomas art. 2. et 3; plura videri poterunt apud Gerdilium tom. 17. tract. de leg. disput. 5. cap. 1. et 2.

objectum actus interni referantur. Qua in re discernere necesse est actum, qui *directe*, ab eo, qui tantum *indirecte* jubetur. Priori modo actus dicitur sub lege cadere, si, nullo ad alium habito respectu, per se ac ratione sui praecipiatur: secundo modo praecipitur actus ratione alterius, cui vel per se vel etiam per accidens adjungitur. Hac rei notione praemissa, doctrinam communiter, ac praeter ambages a Theologis receptam brevi proferamus.

Legem humanam sive ecclesiasticam sive civilem actus internos *indirecte* praecipere posse, omnes uno ore fatentur; eorumque assertio duplici juris et facti argumento roboratur. En primum argumentum sic a ratione depromptum. Qui actus externi praecipiendi jus habet, illud potest *indirecte* praecipere, sine quo actus ipse validus non foret, non perfectus, nec in sua specie morali constitutus. Sed actus exterior invalidus esse potest, imperfectus, in sua specie morali non constitutus, si actui interiori non jungatur. Ergo qui actum externum praecipere potest, internum simul cum illo connexum poterit *indirecte* praecipere. Sed humanae auctoritatis est leges de actibus exterioribus edicere. Non ergo repugnat, actus etiam internos eam *indirecte* imperare. Alterum ex eo deducitur argumentum,

quod plane rem facta confirmant. Jubet namque Ecclesia, ut horae canonicae *studiose pariter ac devote recitentur, atque legantur in puritate conscientiae;* (1) ut minister Sacramentorum veram intentionem habeat in iis perficiendis; (2) ut poenitentes ad sacramentalis confessionis valorem internum animi dolorem concipiant; (3) ut fideles omnes pie ac religiose ad Paschalem communionem accedant. (4) Requirunt pariter leges civiles, ut actus externi, quos praecipiunt, debita ratione fiant; ut e. c. a contractibus, a juramentis quaelibet removeatur simulatio; ut absque animo se se obstringendi, ac servandae obligationis nemo dejeret, nemo paciscatur. Haec interim, aliaque id generis plura, cum optime, utiliter, ac necessario etiam praecipiantur, jure inferendum est per leges humanas actus internos posse *indirecte* juberi.

Verum si actus internos ab exterioribus omnino praecisos conspiciamus, quos *pure* ac *simpliciter internos* appellabimus; eos ma-

(1) Concil. Lateran. 4. cap. dolentes; et Clement. de celebr. Miss.

(2) Concil. Florent. in decr. pro Armen; ac Trident. sess. 7. de Sacram. in genere can. 11.

(3) Idem Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. et can. 4.

(4) Ex Innocentio XI. qui sequentem propositionem confixit: — Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem —.

teriam legum civilium non constituere, pari consensione tradunt Sacrae Theologiae Scriptores. Inquiunt enim: leges politicae in bonum temporale communitatis, veluti in finem sibi consentaneum, proxime tantummodo feruntur. Nequeunt ergo *directe* respicere, quod huic fini non respondet. Sed actus mere interior est spiritualis: inter objectum spirituale, ac finem temporalem nulla proportio. Ad regimen ergo politicum non attinet actus mere interiores *directe* praecipere.

Cuncta haec pro certis cum fuerint statuta, modo ad controversa gradiamur.

§. L.

De objecto legis ecclesiasticae disserentes, cum definiendum sit, an actus mere internos *directe* jubere valeat Ecclesia, hinc inde pro viribus dimicant plures atque gravissimi doctores. Sententiam negantem proferre videtur D. Thomas, (1) eique adstipulantur Suarezius, (2) Benedictus XIV., (3) Gerdi-

(1) D. Thomas 1. 2. Quaest. 91. art. 4. haec habet: — De his potest homo legem facere, de quibus potest judicare: judicium autem hominis esse non potest de interioribus actibus, qui latent, sed solum de exterioribus, qui apparent —.

(2) Suarez. lib. 4. de legibus cap. 12.

(3) Prae ceteris id perspicue asserit Bened. XIV. lib. 9. de Syn. dioeces. cap. 4. N. 4. dicens: — Ecclesia non potest per se directe, et immediate praecipere, aut prohibere actum mere internum juxta communem TT. doctrinam —.

lius, (1) aliique permulti auctoritati potissimum innixi Innocentii III., (2) et Concilii Tridentini (3). Doctrinam huic prorsus adversam strenue propugnant Cardinalis Gotti, (4) Laurentius Berti, (5) Tournelii continuator (6) ac ceteri non pauci, quos refert Antoine theologiae moralis tom. 1. part. 2. de legibus sect. 3. cap. 1. Interea quid nobis in hoc partium dissidio censendum? Quaestionem dirimere qui vellet, arrogantiae notam sibi facile compararet. Sed optio datur: libentius igitur posteriori sententiae adhaeramus, quam consonam magis fatemur amplissime potestati ligandi ac solvendi Ecclesiae divinitus concessae. Cur porro suadeamur, actus internos *directe* praescribi posse ab Ecclesia, haec rationum momenta demonstrant.

Plures Ecclesiam actus mere internos *directe* jussisse, aut vetasse, in dubium revocari nequit.

Nam 1. Cap. ult. de haereticis in 6. prae-

(1) Gerdilius eandem opinionem tradit t. 17. jam cit. de legib. disp. 5. cap. 4.

(2) Cap. Sicut tuis. De simonia — Ecclesia non judicat de occultis — .

(3) Eadem verba confirmant Tridentini PP. sessione 24. cap. 1.

(4) Card. Vinc. Gotti theol. schol. dogm. t. 8. tract. de legib. Quaest. 6. dub. 1. §. IV.

(5) Theologic. disciplin. lib. 20. cap. 15.

(6) Theol. mor. t. 2. cap. 5. sect. 2.

scribitur inquisitoribus, *ut puram, ac providam intentionem habeant.*

2. Urbanus VII. ubique et a cunctis Ecclesiae ministris servari praecipit rubricas Missalis Romani, quarum una Sacerdotem hortatur, ut *aliquantulum quiescat in meditatione SS. Sacramenti.*

3. Ab Innocentio XI. doctrina profligatur Michaelis de Molinos hac propositione contenta: *Risu digna est doctrina quaedam nova in Ecclesia Dei, animam quoad interna per Episcopos gubernari debere, quia Ecclesia non judicat de internis.*

4. Accedit Synodus Tridentina, quae sessione 6. in Proaemio *districtius inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere,* dogma catholicum de justificatione retinendum proponit. Porro in hisce omnibus decernendis Ecclesiam errasse, suaeque potestatis fines excessisse, absurdum est nefasque simul asserere. Dicendum ergo jus sibi proprium eam exercuisse.

Tandem quod facto probatum est, illud et ratio naturalis confirmat. Eo enim ordinatur spiritualis Ecclesiae potestas, ut in finem ultimum idoneis legibus homines dirigantur. *Directe* igitur praescribere aut prohibere potest Ecclesia quidquid huic fini convenit, vel opponitur. Sed per interiores praesertim actus ultimum finem homo con-

sequitur, vel ab ipso recedit. Actus igitur interiores per leges ecclesiasticas *directe* mandari, vel interdici posse, diffitendum non est.

Dum autem haec de Ecclesiae potestate affirmamus, non quidem id fieri contendimus per legem *externe coactivam,* sed per legem tantum *directivam,* obligantem nempe sub culpa; aut etiam per legem *coactivam interne*, qua quis obstringitur sub poena spirituali *ipso jure* incurrenda. Merito diximus interiores actus lege *externe coactiva* praecipi non posse: ea quippe obligat sub poena a judice constituenda: sed poena ut a judice decernatur, processus judicialis sententiam praecedat oportet; processus vero judicialis de actibus interioribus institui non potest. (1)

(1) Hac postrema animadversione occurritur difficultati, quam promunt a verbis Innocentii III. jam super notatis contrariae sententiae patroni. Eadem pariter mentem quisque explicare poterit Angelici Doctoris, cujus auctoritatem haud nobis adversari satis etiam eruitur e contextu. Ibi etenim cit. Quaest. 91. art. 4. cum ostendendam ille sibi proponat divinae legis necessitatem, eam ab humanae legis defectu praesertim hoc pacto deducit. — Ideo lex humana non potuit cohibere et ordinare sufficienter actus interiores; sed necessarium fuit, quod ad hoc superveniret lex divina —. Ita D. Thomas. At quia actus interiores *sufficienter cohibere atque ordinare* per se lex humana non valet; nunquid exinde consequitur de iis actibus leges ab Ecclesia directe ferri non licere?

CAPUT SEXTUM

DE IIS, QUI LEGIBUS SUBJICIUNTUR.

§. LI.

Divinarum legum imperio mortales omnes indiscriminatim subesse, plura, quae cap. 1. Institut. explanata fuere lucidissime ostendunt. Primo namque indubium est, legi aeternae dirigenti simul ac praecipienti quemque alligari (§. V. et VI.) Id aeque certo asserendum de lege naturali, cum nil aliud ea sit, quam aeterna lex ipsa cuilibet rationali creaturae communicata et indicta; (§. VIII.) unde merito lex *universalis* appellatur (§. XII. N. 3.) Omnes item legi subduntur Evangelicae, quam, Deo jubente, per universum orbem Apostoli promulgarunt. (§. XXIV.) Ea quippe cunctis cum imposita fuerit, neminem, cui sufficienter innotescat, ab ipsa recipienda, ac servanda excusari manifestum est; quemadmodum elucet, neminem hujusce legis defectu aeternam consequi posse beatitatem juxta illud Marci cap. 16. *Qui non crediderit condemnabitur.*

Hisce constitutis, ad veritatem firmandam ita paucis instauratur conclusio. Divinae leges, ad aeternam, naturalem, et Evangelicam referuntur (§. III.) Sed tribus hujusmodi legum generibus universi omnes pa-

rere tenentur ex dictis. Nullus ergo inter homines extat, qui divinis legibus non subjiciatur.

§. LII.

Sin autem ad leges humanas progrediamur, haec animadvertenda censemus.

Lex humana per actum jurisdictionis indicitur. Verum in subditos tantum jurisdictio exercetur. Ea igitur nonnisi subditis potest imponi. Rursus: lex humana est ordinatio communis. Omnes igitur obligat, si generatim feratur. Hoc itaque pro certo de lege humana statuimus, quod omnes, et soli subditi sint ejusdem subjectum. Principium hujusmodi nonnulla circa legem ecclesiasticam speciatim consectantur; quae cum praeterire non deceat, sequentia congruenter adnotamus.

1. Christifideles omnes devinciuntur legibus, quae a Suprema ac infallibili Ecclesiae potestate, hoc est a Romano Pontifice vel a Concilio Oecumenico pro universo orbe catholico promulgantur. Si vero Antistes leges condat pro sua Dioecesi, earum subjectum sunt omnes, qui sub ipsius ditione spirituali continentur.

2. Universalis Ecclesiae legibus non modo Catholici, sed et infedeles tenentur, si Baptismum receperint. Equidem hi sunt per-

duelles, extorres; sunt tamen filii, cum ejus potestati vi suscepti Baptismi subdantur vel inviti.

3. Contra: infideles non baptizati; idest idololatrae, judaei, mahumetani praefatis legibus nequaquam possunt obstringi; nam Baptismi defectu ad Ecclesiam non attinent, Apostolo dicente: *quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* (1)

§. LIII.

At si omnes et soli subditi humanarum legum subjacent potestati, nunquid earum vinculo solutus erit legislator? Huic instantiae quid unanimes Theologi reponant, videamus. In statu aristocratico, ubi societatem regunt optimates; in democratico, ubi potestate fruuntur populi repraesentantes, eorum singuli nimirum cunctis obligantur legibus, cum seorsim vere subditi sint. Quod si monarchicum regimen ponatur, distingui solet in hypothesi materia legis, quae unice subditis convenit, ab ea, quae subditis aeque ac legislatori communis est. (2) Si de

(1) Ep. 1. ad Corinthios cap. 5. v. 12.

(2) Exemplis res magis patebit. Si armorum usus civibus prohibeatur, si tributorum praecipiatur solutio, propria tantum subditorum erit legis materia; communis vero, si vetitum sit bellica instrumenta vel cibaria in patriae perniciem extraneis consignare.

legibus prioris generis agatur, nullo prorsus jure ad earum custodiam legislator adstringitur. Quoad leges alterius generis Angelicus Doctor hisce verbis dubium resolvit: = Princeps dicitur esse solutus a lege quantum *ad vim coactivam* legis: nullus enim proprie cogitur a seipso: lex autem non habet vim coactivam nisi ex Principis potestate. Sic igitur Princeps dicitur solutus a lege, quia nullus in ipsum potest judicium condemnationis ferre, si contra legem agat... Sed quantum ad *vim directivam* legis Princeps subditur legi propria voluntate, secundum quod dicitur extra de *constitution.* cap. *Cum omnes: Quod quisque juris in alterum statuit, ipse eodem jure uti debet. Et Sapientis,* Catonis, *dicit auctoritas: Patere legem, quam ipse tuleris* = (1). Si porro inquiratur, unde ortum ducat haec legislatoris obligatio, jam praesto est apposita responsio, quam nobis suppeditat Cardin. Vincentius Gotti dicens: (2) = probabilius esse, eum teneri ex naturali aequitate, ac legis naturalis dictamine, quae jubet, ut in pari causa Princeps nolit unam legem imponi subditis, et aliam sibi; utque caput membris conformetur in iis quae ad commune

(1) Ita D. Thomas 1. 2. Quaest. 96. art. 5. ad 3.

(2) Theolog. scholastico-dogmat. t. 8. tract. de legib. Quaest. 6. dub. 5. §. 1.

bonum spectant. (1) Et sicut subditi ad obediendum legi humanae obligantur immediate per voluntatem legislatoris, et per legem, quam statuit; mediate autem per legem naturalem, a qua lex humana habet vim obligandi: ita Princeps ad legem suam mediate obligatur ex lege naturali; immediate autem ex sua voluntate, ac sua lege, qua volens subditos obligare, vult obligare seipsum = (2).

§. LIV.

Ad leges porro civiles, earumque subjectum si peculiariter sermonem convertamus, quidnam de clericis proferendum? Quoad causas, quae *ecclesiasticae* nuncupantur, clericos jure divino a legibus politicis exemptos catholici scriptores, Bellarmino duce, uno ore pronunciant. Hujusmodi namque causae circa fidei controversias versantur,

(1) Huic doctrinae consentit D. Augustini sententia confes. lib. 3. cap. 8. — Turpis omnis pars est suo universo non congruens —.

(2) Ad ea quae reperiuntur in corp. jur. l. 4. Cod. tit. de legibus; et Cap. justum 2. dist. 9. concorditer accedunt auctoritates D. Isidori Pelusiotae Ep. 383. et D. Ambrosii Ep. 32. ad Valentinianum, iisque suffragatur quoque Synodus tridentina sessione 24. de Reform. Cap. 1. Post D. Thomam hac in re consuli poterunt Dominicus Sotus lib. 1. de just. Quaest. 6. art. 7; Tournelii continuator de leg. Cap. 5. art. 1. sect. 3., Antoine de legib. sect. 3. Cap. 4., Lucius Ferrarius Bibl. can. de lege art. 3., ac prae ceteris Card. Hyacinthus Gerdilius tom. 17. oper. edit. rom. de legib. disput. 6. Cap. 5.

Sacramenta respiciunt, aliaque id generis ad Religionis cultum spectantia. Harum ergo definitio, non a lege civili, sed a Sacris Literis, a Romanorum Pontificum decretis, a Canonibus Conciliorum dependet; cum Ecclesiae regendae potestas Petro et Apostolis divinitus fuerit commissa (1). At si de legibus generatim sermo sit, quae ad commune bonum temporale ordinantur, quaeque Ecclesiae constitutionibus, ac officiis clericalibus non obstant, iis omnibus haud dubio clerici in conscientia subjici tenentur. Ipsi enim vere sunt cives, sunt partes communitatis, ejusque commodis gaudent. Expostulat igitur aequitas, et recta ratio, ut a ceteris subditis non discrepent clerici in legum custodia, quae si ab iis impune violari possent, confusio, scandalum, perturbatio in societate consequeretur.

§. LV.

Antequam praesens caput sui finem attingat, exquirendum superest, num, et quibus teneantur legibus peregrini, advenae, et vagi? Peregrinus ille est, qui extra territorium ad tempus commoratur animo illuc

(1) Vide Concil. Trident. sess. 25. de Reform. cap. 20. Bellarminum disputat. de exempt. cleric. cap. 1. ad calcem tom. 2. controvers., et Gotti de vera Christi Ecclesia tom. 1. Cap. 4; §. IV. tum etiam loc. sup. cit. §. II.

redeundi: advena, qui patriam deserens perpetuo mansionem alibi constituit: vagus, qui nullibi constans domicilium habet. Hoc discrimine adnotato, sic brevi plura concludimus.

1. Quoniam leges personales ejusmodi sunt naturae, ut directe personam afficiant quocumque ea sit, infertur exinde peregrinos, et advenas, licet e propria ditione subductos, hisce legibus constringi. Hinc patet, cur presbyter Sacrum in aliena dioecesi peragere nequeat, si a proprio Episcopo fuerit ab officio suspensus.

2. Lex localis ea dicitur, quae directe locum afficit, non personas. Sed intra propriae ditionis fines coercetur legislatoris potestas. Ergo legibus patriis localibus peregrini, et advenae non alligantur. Id expresse constat ex cap: fin. de Constit. in 6., ubi haec verba Bonifacii VIII. referuntur: = Statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra ipsius dioecesim committentes minime ligari noscuntur: cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune =.

3. Cum limitatione tamen hanc doctrinam Theologi recipiunt; nam si e territorio quis egrediatur, ut legis obligationem declinet, ab ejus vinculo minime solvitur,

quia fraus, et dolus alicui patrocinari non debet (1). Confirmatur haec veritas auctoritate Urbani VIII., qui disserens de abeuntibus quo promulgationem non obtinuit Concilium Tridentinum, ut nuberent clandestino, decrevit *illegitimum fore matrimonium inter sic contrahentes cum fraude* (2).

4. Leges patrias locales criminose transgrediuntur quoque subditi, licet absentes si *per fictionem juris* pro praesentibus habeantur. Ii autem in proprio territorio adesse censentur, si quid agant, a lege vetitum, quod cedat in communitatis perniciem, vel etiam si praetermittant quod ibidem praestare tenentur. Hac ratione delinquunt peregrinus, et advena, qui, patriis legibus reluctantibus, a proprio territorio frumentum extrahunt; quemadmodum aeque delinquit clericus, si egressus e propria dioecesi residentiam deserat, qua devinctus est ratione beneficii.

5. Quamvis peregrini, et advenae a patriis legibus localibus sint immunes ex N. 2., legibus tamen subjiciuntur locorum, in quibus morantur: (3) eadem prorsum est vagorum conditio, tametsi ad breve tempus ac transeunter alicubi versentur; rei namque

(1) Cap. 15. et 16. de rescript.
(2) Decret. ad Episcop. Coloniens. dat. anno 1627.
(3) Lege cives. Cod. de incolis.

publicae maxime refert, exleges homines non esse (1).

CAPUT SEPTIMUM

DE MODO, QUO SERVANDAE SUNT LEGES.

§. LVI.

Cum disputationem instituant sacrae theologiae scriptores de ratione, qua leges adimplere quisque tenetur, plures assolent quaestiunculas in medium afferre, in quibus extricandis nonnunquam inter se pugnantia concludunt (2). Ex iis ut saltem graviores delibare studeamus, investigandum erit in primis, num semper ad legem implendam actus requiratur humanus? Inter legem vetantem ac jubentem distinctione praemissa, animadvertimus legis vetantis proprium esse humanum aliquem actum prohibere. Satis ergo est actum vetitum praetermittere, ut lex servari dicatur. Verum ad operis omissionem necessarius non est actus humanus, cum ea persaepe absque cognitione, ac vo-

(1) De advenis, et peregrinis, et vagis legi poterit Cardin. Gerdilii tom. sup. cit. Cap. 4; nec non Synodus Dioeces. Benedicti XIV. lib. 13. Cap. 4, N. 9. et 10.

(2) Vide sis Luo. Ferrarium Bibl. can. verb. Lex artic. 4; La-Croix theol. mor. t. 1. lib. 1. tract. 2. cap. 3. Gerdilium loc. cit. disp. 7; et B. Alphons. de Ligorio t. 1. lib. 1. tract. 2. Cap. 3.

luntatis deliberatione contingat. Ad hoc ergo, ut lex vetans impleatur, actus humanus non requiritur. Infertur exinde legem sive divinam sive humanam ab eo servari, qui usura, qui homicidio abstinet, etiamsi ne minime cogitet hosce actus utramque legem damnare. Sin autem lex effingatur praecipiens, tum pro duplici ratione, qua juberi potest actus positivus, dupliciter quaestio resolvitur. Ponamus itaque, actum quempiam simpliciter a lege praescribi, nullo habito respectu ad modum, quo actus ipse ab operante perficitur. Hac in hypothesi nil sane obstat, quin etiam per actum non humanum lex adimpleatur. Sive enim habeatur, sive desit in agente cognitio, ac libertas, satis est, actionem fieri, ut lex finem sibi congruentem obtineat. Ad rem clarius illustrandam exemplis agamus. Praecipit lex naturae, praecipiunt leges civiles, ut fiat debiti solutio, ut depositum reddatur. Porro, si forte mente captus, vel ebrius utrumque praestet, nulla superest amplius restitutionis obligatio. Cur autem? Quia leges, quibus tenebatur, ille satis implevit, licet ejus actio cognitione simul ac libertate caruerit. Si vero lex imperet opus humano modo perficiendum; illud fieri necessum est, prouti creaturam decet rationalem, cum cognitione scilicet, ac voluntatis deliberatione. Hinc

patet, Ecclesiae praecepto non satisfacere, qui festivo tempore ebrietate vel somno correptus astat in templo dum Sacrum peragitur.

§. LVII.

Sed ut actus humanus ea gaudeat honestate, quam leges intendunt, quaenam esse debet operantis intentio, qui finis? Ut propositum dubium explanent, nonnulla Theologi communiter statuunt principia, quae ad haec praecipua capita referri posse videntur.

1. = Ut lex jubens adimpleatur, intentio requiritur, seu voluntas operis praecepti exercendi, et ea quidem ratione, qua illud praecipitur = (1).

Prob. Legem nunquam servari certum est, nisi id fiat, quod sub praecepto continetur. Sed cum actus humanus a lege jubeatur, sub praecepto cadit actus voluntario praestandus, eaque praeditus honestate, quam lex ipsa requirit. Ad hanc ergo legem implendam necessaria est intentio operis perficiendi qua ratione opus idem imperatur. Unde jure concludimus divinum officium non persolvere clericum, si non orandi, sed studendi causa horas canonicas perlegat; nec

(1) Ita Sanchez lib. 1. de Decalogo Cap. 13. N. 2; La-Croix loc. sup. cit. dub. 4., Ligorius ibidem dub. 4., aliique generatim.

audiendi Sacri praeceptum servare, qui die festo Ecclesiam ad curiositatem explendam ingreditur, ibique colloquitur amicis, nil cogitans de Sacrificio, quod interea celebratur.

2. = Qui rite posuit actum a lege praescriptum ad nihil amplius tenetur, quamquam legis adimplendae animum non habuerit = (1).

Prob. Duo admodum inter se diversa sunt, actum voluntario fieri, et actum ideo fieri quia lege praecipitur. Prior intentio ad plenam legis observantiam pertinet, non vero secunda. Quapropter defectus expressae intentionis legis custodiendae non impedit, quominus revera lex impleatur ab eo, qui actum voluntario juxta legem exequitur. Si quis ergo, nescius vel immemor praecepti stato die feriam esurialem decernentis, ex devotione tantum jejunaverit, huic praecepto indubitanter satisfecit.

3. = Expressa intentio non satisfaciendi efficere nequit, ut lex non impleatur, si actio praecepta voluntario fiat =(2).

Prob. Voluntas efficax, qua juxta legem opus injunctum exercetur, satis omnino est,

(1) In id consentiunt Sanchez loc. cit. N. 9., Reiffenstuel theol. mor. tract. 2. de leg. distinct. 3. Quaest. 5., Antoine de leg. section. 2. Cap. 3. Quaest. 1. respons. 2., ac ceteri passim.

(2) Id contra Navarrum docent superius notati scriptores, quibus adjiciendi sunt Suarezius lib. 2. de legibus, et Layman theol. moral. lib. 1. tract. 4. Cap. 4.

ut lex ipsa adimpleatur. Ea porro voluntas non eliditur per intentionem adversam inefficacem. Ergo qui voluntarie posuit actionem reapse legem servavit, licet satisfacere noluerit. Exinde colligitur, non teneri subsequenti paschali tempore Sacram Eucharistiam denuo recipere, qui e. c. die dominico Palmarum devote hoc religionis munus obivit, etiamsi animum habuerit Ecclesiae praecepti ea vice non adimplendi.

4. = Ad legem accurate servandam *intrinsecum* ejus finem intendere opus est, non vero finem *extrinsecum*, quem sibi proponit legislator =.

Prob. Finis intrinsecus legis aliud non est, quam terminus, in quem ex se tendit opus a lege praestitutum, ac finis operis proprie nuncupatur. Sic finis legis intrinsecus erit laus Dei, si oratio; pauperis adjutorium, si eleemosyna praecipiatur. Sed finis operis sub praecepto comprehenditur, cum intime, ac necessario cohaereat actioni, quam jubet legislator. Idipsum ergo de fine legis intrinseco dicendum. At contra: quoniam, praeciso etiam fine, quem sibi legislator constituit, actio praecepta, et voluntaria, et in suo genere perfecta esse potest; manifestum inde est, ad substantiam legis finem extrinsecum non pertinere, neque idcirco in operante requiri, nisi expresse a lege jubeatur.

§. LVIII.

Disputant quoque Doctores de plurimis impedimentis, quae legis custodiae persaepe adversantur, inquirentes, an subditus, cum id fieri possit, eadem non apponere, vel etiam removere teneatur? Ad hujusce dubii resolutionem generatim advertunt, legem quamlibet opus *expresse* imperantem, *implicite* etiam, ac *virtualiter* quidquid impedit executionem operis injuncti prohibere. Addunt insuper, legislatorem, qui finem praecipit, legum nempe observantiam, media quoque jubere ad finem assequendum necessaria. Haec porro cum in eo praesertim consistant, ut obicem legi servandae subditus non ponat, vel etiam extantem removeat; hinc sponte consequitur, legem praecipientem actum, ea simul vetare quae ipsius executionem impediunt (1). Veruntamen vis et ratio legum eadem semper non est, nec idem earum objectum: impedimenta quoque innumera fere ac varia esse possunt, quae observantiae legum officiant. Adjiciantur ergo ad rei perspicuitatem nonnullae regulae in dubiis moralibus resolvendis pro opportunitate adhibendae.

(1) Communis haec TT. doctrina videri poterit apud Gerdilium loc. sup. cit. Cap. 5., Antoine ibid. Quaest. 6., et Tournelii continuat. De legib. Cap. 5. art. 1. sect. 5. punct. 5.

Regula 1. = Nemini prorsus licet versute impedimentum opponere legi ad ejus obligationem evadendam =. Si enim ita dolose quis ageret aeque culpabilis foret ac ille, qui, ut legem declinet, a propria dioecesi vel territorio discedit (§. LV. N. 3.). Hac de causa excusari minime posset a legis transgressione clericus, qui iter aggrediens domi consulto breviarium relinqueret, ut a divini officii recitatione eximeretur.

Regula 2. = Legis pariter violator habendus est, qui nulla ductus necessitate aliquid perficit, vel omittit quo tempore lex urget, certo aut probabiliter praenoscens, legis impedimentum exinde consecuturum =. In hypothesi namque legis obligatio viget, cum absque gravi incommodo vel non poni, vel removeri possit impedimentum. Peccat igitur qui festivo tempore ebrietati indulgens Sacro interesse nequit: peccat qui ludo aut venatione adeo nimis defatigatur, ut indictum jejunium debeat praeterire: peccat denique excommunicatus, si negligat absolvi a censura, ob quam paschalem communionem recipere prohibetur.

Regula 3. = Rursus legem transgreditur qui ponit impedimentum per actum utilem aut etiam necessarium, quem tamen ad posterum tempus facile poterat differre =. Tum quippe nulla ratio subest, qua quis a-

lege adimplenda valeat excusari. Unde concludimus, omnino culpandum fore qui die festo adveniente, Sacrum praetermittit ratione itineris, quod aeque commodum erat pridie vel postridie suscipere.

Regula 4. = Quamplura sunt necessaria, aut admodum utilia, quae licite fieri possunt, etiamsi legis positivae observantiam impediant =. Ex eo luculenter hujusce regulae veritas apparet, quod gravi cum discrimine ac detrimento neminem per se communiter adstringit lex positiva (1); immo nec obligat si agatur de praestanti virtutis actu exercendo in bonum spirituale proximi, vel temporale communitatis, qui actui a lege imposito, ceteris paribus, sit praeferendus. Quocirca legis ecclesiasticae transgressor non erit sacerdos, qui, cum diutissime sacram exomologesim excipere debeat, vel divina eloquia pluries in die fidelibus nunciare, tantum onus jejunando perferre non valet. Idipsum de artifice dicendum, qui ad familiam alendam operibus adeo laboriosis incumbere sedulo tenetur, ut praeceptum quadragesimale nequeat servare.

Regula 5. = Utilitatis tamen, vel necessitatis causa non licet impedimentum apponere legi, si ejus materia maximi sit mo-

(1) Instit. lib. 1. §. xxxiv. N. 4., et lib. 2. §. xlviii. N. 3.

menti; si nempe morum honestati, si bono publico, si aeternae proximi saluti ea sit necessaria =. Haec siquidem non tam a lege positiva, quam potissimum a naturali jubentur, quae ad sui custodiam obligat non modo cum gravi incommodo, verum etiam quandoque, si opus fuerit, cum vitae jactura. Nemo igitur, quantumvis ab ecclesiasticae legis vinculo solutus, carnibus vesci poterit quo tempore earum interdicitur comestio, si secus devitare nequeat scandalum pusillorum: item nec militi fas erit fugam capere, deserere stationem ad mortis periculum avertendum: rursus nec licebit animarum pastori, veluti mercenario, cui de ovibus cura non est, contagionis metu populum sibi commissum absque Sacramentis derelinquere.

§. LIX.

Si porro a tota lege servanda quis impediatur, eam ne, qua parte saltem possibilis est, adimplere tenetur? Cum materiam legis divisibilem ab ea discernant Theologi, quae in indivisibili sita est, ex hac distinctione facilis patet responsio. Nam si legis materia sit individua, qui totum opus praestare non potest, neque ad partem obligatur. Hac de re exemplum habemus in praecepto, quo jubet Ecclesia die festo integre

Sacrum audire. Si quispiam tribus insimul partibus, quibus Divinum constat Sacrificium interesse nequit, unam tantum vel alteram ipsius partem nec audire tenetur. Sin vero materia dividua sit; cum quaevis pars seorsum consistat, lex fertur ad omnes, et singulas partes etiam separatim acceptas; ideo ex parte saltem constringit, si tota nequeat servari. Huic doctrinae suffragatur auctoritas Innocentii XI., qui sequentem rejecit propositionem: = Qui non potest recitare matutinum et laudes, potest autem reliquas horas, ad nil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem =.

§. LX.

Resolvendum heic praeterea superest, an pluribus actibus insimul positis, an etiam unico actu plura interdum praecepta adimpleantur? Quoad primam quaestionis partem affirmando concludimus, dummodo actus ita invicem componantur, ut unus non impediat, quin alter debita ratione perficiatur. Quid enim vetat, eodem tempore fieri totum id, quod plures leges praescribunt? Clericus igitur duplici Ecclesiae praecepto aeque satisfacere poterit, si die festo, dum Sacrum audit, una et horas canonicas persolvat: ad utrumque enim religionis opus rite praestandum attentio sufficit, ac pius

in Deum animi affectus. Ad alteram partem quod attinet, reponimus, uno eodemque actu pluribus praeceptis satisfieri non posse, nisi expresse constet, indulgenter in id consentire Superiorem. Generatim quippe censetur, jubentem, de re dumtaxat obligationem imponere velle, quae debita aliunde non est. Quocirca recte non sentiret, qui sibi suaderet, jejunandi praeceptum in Poenitentiae Sacramento pro satisfactione indictum adimpleri posse per jejunium a lege ecclesiastica jam constitutum.

§. LXI.

Tandem quid agendum, si duo simul urgeant praecepta, quae ex circumstantiis ambo nequeant servari? Haec invicem sedulo comparentur, ac praestantius anteferatur. Cum itaque plura in conflictu reperiantur officia, quorum alia ad jus naturale pertineant, alia ad positivum, priora posterioribus indubitanter sunt praeponenda. Naturae siquidem praecepta, quae circa rem necessariam versantur longe praevalent cuilibet praecepto positivo, cujus materia per se necessaria non est. Hinc posito charitatis officio ex lege naturali erga proximum egenum ac infirmum exercendo, praetermittendum erit opus ab humana lege praescriptum, si aliter maximae proximi necessitati

spirituali vel etiam temporali consuli non possit. Ob supremam legislatoris dignitatem idipsum asserimus de jure divino positivo quod juri humano semper est praeferendum.

CAPUT OCTAVUM

DE LEGUM CESSATIONE.

§. LXII.

Legem aeternam ac naturalem nec variari, nec deficere unquam posse liquido compertum est ex iis, quae diximus (§. IV. et XII). Non ita sane de lege positiva sentiendum, cum penitus a libero supremi imperantis nutu ejus existentia dependeat. Equidem non diffitemur legis positivae proprium esse perpetuo consistere, quamdiu scilicet perseverat Communitas in cujus utilitatem ea condita fuit (XXVI). Sed quoniam persaepe contingit ob mutabiles rerum conditiones, ut, quod prius in bonum commune fuerat constitutum, vel inane pedetentim fiat, vel noxium societati; hinc rectae rationi apprime consentaneum est, leges quandoque aut emendari, aut etiam prorsus deleri. Quapropter congruentissime inquiunt PP. Concilii Lateranensis IV. *Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta varientur humana,*

quoniam et ipse Deus ex his, quae in veteri Testamento posuerat, nonnulla mutavit in novo (1). Hujusmodi porro legum immutatio non una ex causa procedere potest. Nam primum *intrinsecus* lex per se concidit, si tempus excurrat ad legis existentiam praefixum; si materia legis adeo mutetur, ut haec evadat injusta; si demum legis causa finalis tota et integra cesset respectu communitatis. *Extrinsecus* quoque per legislatoris voluntatem expressam vel tacitam lex multipliciter infirmatur, *dispensatione* videlicet, *derogatione, abrogatione, interpretatione, et consuetudine*. Quanam ratione lex possit hisce quinque modis vel ex parte, vel omnimode cessare, particulatim videamus.

ARTICULUS PRIMUS

De cessatione legis per dispensationem, derogationem, et abrogationem.

§. LXIII.

Quamvis pro universa communitate firmiter consistat et vigeat lex positiva, ab ejus tamen vinculo quis interdum subducitur per dispensationem, quae definiri solet = relaxatio juris legitima auctoritate facta, vi cujus individua quaedam persona, vel plures etiam

(1) Haec verba habentur Cap. 8. de consanguin. et affin.

in casu peculiari a legis obligatione redduntur immunes =. Duplex esse potest legitima auctoritas, per quam dispensatio confertur: *ordinaria* nempe, quae alicui competit ratione officii ac dignitatis: *extraordinaria*, seu *delegata*, quae per illius acquiritur concessionem, qui ordinaria gaudet potestate.

Convenit autem 1. cuilibet legislatori ordinaria dispensandi facultas; qui enim jure sibi proprio legem tulit, eamque pro lubitu dirimere valet, aequo jure potest, obligatione communitatis manente, pro aliquo subdito peculiariter legis vinculum relaxare, in quo proprie dispensatio consistit (1).

2. Ea pariter convenit successori legislatoris; nam qui alteri in officio vel dignitate succedit, ipsius jurisdictionem assequitur.

3. Haec eadem potestas convenit Superiori, qui tum in subditos, tum in eorum legislatorem habet auctoritatem.

4. Inferior tamen jure ordinario a lege Superioris dispensare nequit (2), sed veluti delegatus id tantum praestare poterit ob expressum vel praesumptum saltem legislatoris consensum (3).

(1) Huic principio consonant verba, quae reperiuntur cap. 2. reg. jur. — res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur — .

(2) Ita ex Clement. 2. de electione dicente: — Lex superioris per inferiorem tolli non potest — .

(3) Innititur haec assertio regulae 68. juris in 6; quae sic

§. LXIV.

Hisce generatim de dispensatione adnotatis, operae nunc pretium est definire, quonam in jure fieri possit dispensatio. Si a jure naturali exordiamur, ea recolere satis erit, quae de illius immutabilitate (§. XII. N. 5. et XIV.) jam a nobis exarata fuere, ut quisque facile sibi suadeat, nullam in eo dari veram ac propriam dispensationem. Et recte quidem: id enim qua fieri posse auctoritate censebimus? Non humana profecto ex (§. LXIII. N. 4.): immo neque divina, cum *Deus... negare seipsum non possit* (1). Haec Divi Pauli verba referens Angelicus Doctor ita pro re nostra concludit 1. 2. Quaest. 100. art. 8. ad 2. = negaret autem seipsum (Deus), si ordinem suae justitiae auferret, cum ipse sit sua justitia. Et ideo in hoc Deus dispensare non potest, ut homini liceat non ordinate se habere ad Deum, vel non subdi ordini justitiae ejus etiam in iis, secundum quae homines ad invicem ordinantur = (2).

enunciatur: — potest quis per alium quod potest facere per semetipsum —.

(1) Ep. 1. ad Timoth. Cap. 2. v. 13.

(2) Neque humana, neque divina auctoritate proprie dispensari posse in legis naturae praeceptis ostendit prae ceteris Card. Gotti tom. 8. tract. de legibus Quaest. 3. de lege natural. dub. 6. a §. 1. ad 4. inclus.

§. LXV.

Quid vero de jure divino positivo? Cum Deum habeant Auctorem hujusce generis praecepta, nemo sane inficiabitur, divinitus ea posse relaxari (§. LXIII. N. 1). At nulli hominum hanc dispensationem licere affirmamus, cum non subsit humanae potestati quidquid sanctione divina firmatum est. Verum Ecclesia saltem nonne id poterit auctoritate superne recepta? Non una fuit hac in re Doctorum opinio. Inter veteres nonnulli existimarunt, juris divini relaxandi ad Summos Ecclesiae Pastores facultatem pertinere (1). Communis tamen adversatur sententia, quam D. Thomas amplectitur Quodl. 4. art. 13. dicens: = Circa ea, quae sunt juris divini vel naturalis (S. Pontifex) dispensare non potest, quia ista habent efficaciam ex institutione divina =. Docent itaque Theologi simul et Canonistae quamplurimi, divinae legis vinculum Ecclesiam proprie non solvere, sed interpretando definire, ejusdem praecepta in peculiari casu ob adjunctas rerum circumstantias quempiam non adstringere (2). Haec enim po-

(1) Consulatur D. Bonaventura in 4. distinct. 38. Quaest. ult.

(2) Ut ceteros praetereamus, quos citat Luc. Ferrarius Bibl. verb. Dispensatio N. 19. videri poterunt praesertim Sotus de Just. et Jur. lib. 10. Quaest. 3. art. 1; Fagnanus in cap. 22.

testas, inquiunt, apud homines *ordinaria* esse nequit, cum inferior vi proprii muneris tollere non possit obligationem, quam superior imposuit: eam porro *delegatam* asserere absurdum est, quia nullibi ex divino verbo scripto vel tradito constat, Deum in suo jure dispensandi potestatem hominibus contulisse. Addendum insuper est, divinam legem positivam vel ad praecepta Fidei, vel ad Sacramentalia referri (§. XXIV). Sed quoad Fidei, quoad Sacramentorum praecepta nulla substantialis immutatio fieri potest ab Ecclesia: ergo neque propria dispensatio.

§. LXVI.

Ad leges ecclesiasticas modo accedamus, inquirentes, an, et a quibus circa eas dispensatio sit concedenda? *Communes Ecclesiae leges*, inquit Joan. Card. Bona (1), *ritus, consuetudines ubique receptae ejus dumtaxat auctoritate tolli, vel mutari possunt, cujus est in universam Ecclesiam auctoritas et potestas.* Sed ratione primatus amplissimam hanc potestatem Romano Pontifici attribuunt Scripturae Sacrae, Traditio,

Dudum lib. 1. decret. tit. 6. de electione N. 23. Reiffenstuel lib. 1. decret. tit. 2. N. 454; et P. Antoine de legib. Sect. 3. Cap. 6., qui omnes cum Angelico sentiunt.

(1) Card. Joan. Bona haec scribebat ad Jo. Bapt. Thiersium Ep. 259. ex select. Vide Bened. XIV. de Syn. Dioeces. lib. 13. Cap. 18. N. 11.

Patres, generalia Concilia. Huic ergo tantum in omnibus Ecclesiae legibus competit indulgere (1). Ut autem in re tanti momenti locus ambagibus praecludatur, speciatim dicimus, Apostolicae Sedis proprium esse, tum in jure communi ecclesiastico dispensare (2); tum in Conciliorum oecumenicorum decretis (3); tum etiam in Constitutionibus, quae pure Apostolicae nuncupantur (4). Secus omnino de Episcoporum auctoritate sentiendum, Episcopi namque, utpote inferiores, nullo jure ordinario ea immutare possunt, quae vel ad Ecclesiae universalis regimen, vel etiam pro Ecclesiis particularibus a Su-

(1) Idipsum concludit Angelicus eod. Quodlib. 4. art. 13. dicens: -- quod Papa habet plenitudinem potestatis in Ecclesia; ita scilicet, quod quaecumque sunt instituta per Ecclesiam vel Ecclesiae Praelatós, sunt dispensabilia a Papa: haec enim sunt, quae dicuntur esse juris humani vel positivi --. Vide Gerdilium tom. 17. opar. de legib. disput. 11. Cap. 3. prop. 1.

(2) Ita decernit Innocent. III. lib. 3. decret. tit. 8. de conces. praebend. Cap. 4; cujus haec sunt verba: -- Secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare --.

(3) Quoad hujusmodi legum immutationem utiliter conferri poterit Synodus Dioeces. Bened. XIV. lib. 9. Cap. 4; ubi agitur de potestata absolvendi in conscientiae foro ab haeresi occulta, quam Episcopis tribuerant sess. 24. Cap. 6. de Reform. Tridentini Patres, quamque deinceps Romanae Sedi Pontifices reservarunt per Apostolicam Constitutionem, quae in die coenae Domini quotannis evulgatur.

(4) Distinctionem inter Apostolico-divinas, ac mere Apostolicas Constitutiones dogmatici tradunt scriptores cum D. Thoma loc. sup. cit. Quoniam autem priores ad jus divinum referuntur, non posteriores; hinc merito ipsi docent, secundi generis tantum constitutiones Ecclesiam posse relaxare.

periori potestate sancita fuere (1). Quocirca inferendum est, non modo leges pontificias, aut Conciliorum Generalium decreta Episcopum relaxare non posse, sed neque Synodi Provincialis constitutionem. = Haec quippe, inquit perlaudatus Benedictus XIV. (2), condita est a coetu Episcoporum tamquam constituentium unum mysticum corpus altioris jurisdictionis, quam in singulis reperiatur Episcopis, ac propterea censetur lex lata a Superiore, cui inferior jure ordinario nequit derogare... Et quoniam etiam Archiepiscopus, quamvis concilio provinciali praesideat, attamen est illo inferior; a Metropolitano enim ad Concilium provinciale, tamquam ad Superiorem appellari posse, ait Glossa ult. *in cap. penul. de appellat. in 6*, hinc recte infert Suarez *lib. 6. de legibus cap.* 15. *N.* 5., neque Archiepiscopum potestatem habere relaxandi, seu aliquem per dispensationem solvendi a vinculo constitutionis editae a Concilio Provinciali =. Sin autem de legibus Synodalibus sermo sit, quisquis Episcopus vi jurisdictionis ordinariae, qua gaudet in propria Dioecesi ab hisce legibus poterit subditos eximere, modo tamen a Sede Apostolica eae non fuerint confir-

(1) Cap. inferior. 4. distinct. 21., et Clement. 2. sup. not. de electione.
(2) De Synodo Dioecesana lib. 13. Cap. 5. N. 8.

matae, vel etiam si dumtaxat confirmatae fuerint *in forma communi*. Porro in forma communi, subdit citatus Pontifex ibid. N. 11. = confirmari dicuntur statuta, quae non singulatim examinantur, neque approbantur a Pontifice *motu proprio, et ex certa scientia*, atque Apostolicae auctoritatis robur illis non adjicitur absolute, sed solum conditionate, videlicet, *si juste, canonice, aut provide facta sint; et dummodo sacris canonibus, Tridentini Concilii decretis, et constitutionibus Apostolicis non adversentur* =. At si in *forma specifica*, hoc est, causae cognitione praemissa, leges Synodales *motu proprio, et ex certa scientia* absolute confirmentur; tum novum robur ex approbatione hujusmodi leges acquirunt, cumque habeantur veluti leges pontificiae, circa eas fieri non poterit episcopalis dispensatio. Ita clarissimus Prosper Fagnanus *cap. Si quis a N. 11. ad 24. de confirmatione utili vel inutili* (1). Tandem animadvertere juvat, quod, etsi in jure superiori nulla sit Episcopis ordinaria dispensandi facultas, iisdem nihilominus extraordinaria quandoque tribuitur. Id communiter contingit.

(1) Diversa ratione ad dubium resolvendum procedunt Baldus et Bartolus, diversa quoque Panormitanus, quorum opiniones expendunt Suarezius de legibus lib. 6. Cap. 26; et Benedictus XIV. ibidem N. 9. 10. et 11. Hic tamen ceteris praefert Fagnani sententiam.

1. Ex concessione juris; cum nempe in ipso jure expresse detur Episcopo legis immutandae potestas (1).

2. Si tacite ac virtualiter ea conlata praesumatur, dum generatim a jure permittitur dispensatio, eamque Romanus Pontifex sibi non servarit (2).

3. Si pro dispensatione obtinenda gravis urgeat necessitas; si periculum interim sit in mora, neque ad Sedem Apostolicam facile pateat recursus (3).

4. Si demum vigeat consuetudo dispensandi jam legitime praescripta (4).

§. LXVII.

Legi insistere, cum ejus observantia infert praejudicium crudelitatem sapit (5). Aequitati igitur simul ac prudentiae regulis interdum consentaneum est aliquem in peculiari casu a legis obligatione subducere. Communi bono id quoque congruentissimum

(1) Cap. Si alicujus 59. de electione; et Cap. At si clerici 4. de judiciis.

(2) Ita Sanchez lib. 8. de matrimon. disput. 5. N. 1., Barbosa parte 2. de offic. et potest. Episc. alleg. 33. N. 22; Reiffenstuel in lib. 1. decret. tit. 2. N. 467., aliique Sacrorum Canonum periti.

(3) Videatur Sanchez lib. 3. de matrimon. disput. 40. N. 3., et Reiffenstuel ibid. N. 470.

(4) Vide Suaresium lib. 7. de legibus Cap. 14. N. 10. Cap. Cum tanto 11. de consuetud.

(5) Symmachus Pontifex Ep. ad Avitum.

fore, hisce verbis declarat Ep. ad Gennadium D. Cyrillus Alexandrinus: = Dispensationes nonnunquam cogunt parum quidem a debito quosdam foras exire, ut majus aliquid tueri faciant. Sicut enim ii, qui mare navigant, tempestate urgente, navique periclitante, anxiosi quaedam exonerant, ut cetera salva permaneant; sic nos in negotiis, ubi non licet exquisitissimam illam rationem servare, despicimus quaedam, ne cunctorum patiamur dispendia =. Verum, quamvis dispensationum usum omnino commendandum existimemus, haud nobis tamen latet, eas totidem fore *vulnera* legis ac disciplinae. Ergo nec frequenter, nec absque causa concedendae; secus unicuique ad leges transgrediendas aditus aperiretur (1). Haec porro causa, quae urgens ac justa sit oportet, duplex indicatur a D. Bernardo lib. 3. de consideratione cap. 4. sic nervose scribente: = Ubi necessitas urget, dispensatio excusabilis est: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est =.

(1) Conferatur Synodus Tridentina sess. 25. de Reform. integ. Cap. 18. nec non Bened. XIV. const. 45. ad Apostolicae; Const. 89. Inter omnigenas; et const. 130. libentissime tom. 1. Bullarii.

§. LXVIII.

Ex dictis concludimus, dispensationem quamlibet semper illicitam esse, cum *necessitatis* vel *utilitatis* causa deficiat. Hinc alterutra non extante, a culpa immunis non erit Superior, qui subditum a lege solvit; immo nec inferior, qui dispensationem deposcit. Peccat, inquam, Superior tum ob injustam personarum acceptionem, tum quia hac agendi ratione legum contemptus exoritur; quae duo in detrimentum societatis vertuntur; peccat inferior, cum praebeat Superiori peccandi occasionem. Nihilo tamen secius de illicitae dispensationis validitate dubitandum non erit, si ab ipso legislatore, vel successore, vel superiore concedatur. Certum quippe est, legis cujusque obligationem ex eorum arbitrio pendere. Unde nil obstat, quin reapse haec auferatur obligatio, quamquam sine causa dispensationem eorundem auctoritate fieri contingat. In id prorsus conveniunt rerum theologicarum scriptores, casum tantummodo excipientes, quo vi delegationis sibi commissae dispensatio fiat ab inferiori. = Hanc enim dispensationem, nulla urgente justa causa, ab inferiore concessam, non solum illicitam, sed invalidam omnes Doctores pronunciant; quia non censetur superior potestatem dispensan-

di super sua lege impertiri, nisi ex causa rationabili; ac proinde qui, hac non existente, dispensationem elargitur, suae potestatis limites praetergreditur =. Hactenus Benedictus XIV. De Syn. Dioec. lib. 13. cap. 5. N. 7.

§. LXIX.

Si veritas in supplici libello occultetur, si falsum exprimatur, duplici vitio *subreptionis* ac *obreptionis* infirmari potest quaevis dispensatio. At quoniam non omnis reticentia veri, aut falsi enarratio dispensationem invalidam reddit; hinc plura ducimus hac super re cum Theologis adnotanda.

1. Si dolose vel etiam inconsiderate praetermissum fuerit quod attinet ad rei substantiam, de qua fit postulatio, quodque ex jure, stylo, vel consuetudine exprimendum erat, dispensatio, utpote *subreptitia*, irrita penitus evadit: nam deest in hypothesi Superioris voluntas dispensationis elargiendae quoties ea non enuncientur, quae necessario exponenda sunt, ut valeat dispensatio (1).

2. Item nullam vim habet, ac *obreptitia* vocatur dispensatio, si ficta sit *causa finalis*, ob quam superior gratiam elargitur, quamque si nosceret non extare, vel non

(1) Cap. 2. de Filiis presbyter. in 6.

dispensaret, vel aliter dispensaret, nempe sub aliqua conditione. Is etenim cum aliquid indulget, intendit semper expresse vel tacite concessionem valere, modo preces veritati innitantur. Idipsum concluditur, si duae *causae finales* in petitione referantur, quarum una falsa sit, altera vera, sed per se non sufficiens ad dispensationem obtinendam (1).

3. *Causa impellens* ea est, quae per se, ac principaliter legislatorem non movet, sed tantum efficit, ut dispensatio facilius concedatur. Ergo etiamsi falsa ea sit, de valore dispensationis dubitandum non est, si legislator *ex causa finali* vera ad indulgendum inducatur (2).

§. LXX.

Cum per dispensationem nonnisi pro aliquo individuo in particulari legis vinculum dissolvatur (§. LXIII); cuique perspicuum est ab ea summopere differre *derogationem* atque *abrogationem,* quibus respectu totius communitatis lex vel ex parte vel penitus aufertur. Utriusque definitio plane eruitur ex L. 120. de verbor. significat., ubi haec habentur: = *Derogatur legi, cum pars detrahitur; abrogatur lex cum prorsus tollitur.*

(1) Cap. 20. de rescriptis.
(2) Eod. Cap. 20. de rescript.

Hac duplici de causa triplici modo cessatio cujusque legis contingere potest: 1. scilicet per legem subsequentem, quae priori vel partim vel omnino adversetur: 2. per expressam legis revocationem a suprema auctoritate factam: 3. demum per consuetudinem legitime inductam, de qua inferius. Plura, quae a (§. LXIII. ad LXVIII.) de dispensatione tradidimus, tum derogationi, tum abrogationi amussim cuncta conveniunt. Ea igitur satis erit mente recolere, ne lector eadem repetita fastidiat.

ARTICULUS SECUNDUS

De cessatione legis per interpretationem.

§. LXXI.

Interpretatio, quae generatim dici potest cujuslibet sermonis difficilis, ac perplexi elucidatio (1), si ad leges referatur duplicis generis est: altera *simplex*, et *propria*, quae verba legis explanans obscura et ambigua verum ipsius sensum exponit: altera *impropria*, quae, lege perspicue jam enunciata ejusque certo cognita significatione, casum aliquem particulatim ab eadem excipiendum fore decernit juxta principia aequitatis, quam

(1) Fagnanus in Cap. Quoniam tit. de constit. lib. 1. decret. N. 19.

graeci *epichejam* appellant. Simplicem legis interpretationem distinguere solent scriptores in *authenticam, usualem,* et *doctrinalem* seu *didascalicam.* Interpretatio authentica fit ab eo tantum, qui jure gaudet legis condendae vel abrogandae, atque pro lege a subditis habenda est, cum satis fuerit promulgata. Ad hanc interpretationis speciem referuntur ea juris verba, quae in L. ult. cod. de legibus continentur. *Si in praesenti leges condere soli Imperatori concessum est, et leges interpretari solo dignum imperio esse oportet.* Interpretatio usualis ea vocatur, quae ex usu deducitur et consuetudine; quemadmodum edocemur ex L. 37. dig. de legibus. *Si de interpretatione legis quaeratur, in primis inspiciendum est, quo jure civitas retro in ejusmodi casibus usa fuit. Optima est enim legum interpres consuetudo.* Doctrinalis interpretatio est, quam tradunt viri sapientes ac in jure periti. Haec quidem vim legis non habet, cum ab iis promanet, quorum nulla est jurisdictio: maximi momenti nihilominus est, nec sine temeritatis nota rejici poterit, si omnes in idem placitum conveniant Doctores.

§. LXXII.

Circa interpretationem legis doctrinalem abs re non erit paullisper immorari ad

plurimos errores praecavendos, qui, ea prudenter non adhibita, facile consequerentur. Pro accurata legum interpretatione nonnullae regulae communiter proponuntur, quarum saltem praecipuas ad haec summa capita referre congruum arbitramur.

Regula 1. Cum verba legis adeo per se conspicua sint, ut manifesto pateat, quinam sit ejusdem sensus, quae mens legislatoris; tum interpretatio utpote inanis locum habere nequit. Idipsum tradit Angelicus D. 2. 2. Quaest. 120. art. 1. ad 3. dicens: *in manifestis non est opus interpretatione, sed executione* (1).

Regula 2. Quoniam vocum proprietas et vis, ab usu communi deducenda est, generatim juxta propriam ac naturalem verborum significationem leges intelligere decet; nisi tamen sic sumptae inutiles illae appareant, vel absurdae, vel injustae. Cum enim lex quaelibet, ut intelligatur, sensu obvio debeat enunciari, praesumendum est, Superiorem vocabulis uti velle significatione vulgari, omniumque subditorum captui accomodata (2).

Regula 3. Si modo indefinito ac generali

(1) Ita sentiunt omnes cum Glossa in Cap. Cum dilectus 8. de consuetudine.

(2) Hanc regulam TT. deducunt ex jur. com. Cap. Ad audientiam 12. de decimis.

expressa fuerit lex, species omnes casuum possibilium comprehendit, nisi aliunde constet de contraria Superioris voluntate. Nulla ideo ab inferiore inducenda est in legibus exceptio; nam *ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus* (1).

Regula 4. Ad dubia removenda, quae ob implexam verborum obscuritatem circa legem exoriri possunt, congruum erit sensum legis deducere tum e sermonis contextu, videlicet ab antecedentibus simul et consequentibus (2); tum ex natura rei, circumstantiis, ac fine potissimum legis (3); tum denique ex ceteris legibus non ambiguis, ubi eadem verba, vel consimilia adhibita reperiuntur (4).

Regula 5. In legibus interpretandis prae oculis habenda sunt haec receptissima juris principia: *Odia restringi, favores convenit ampliari; in poena benignior est interpretatio facienda* (5). Leges itaque poenales, leges omnes, quarum materia *odiosa* vulgo nuncupatur, strictim intelligendae sunt, nec ultra casum in iis expressum ampliandae.

(1) Argum. l. 8. de publiciana in rem actione.

(2) Leg. 68. dig. de regul. juris.

(3) Cap. Intelligentia 6. De verborum significatione.

(4) Ex hisce liquet, quantum conferant ad accuratam legis doctrinalem interpretationem artis hermeneuticae rite usurpata principia.

(5) Reg. 15. et 48. juris in 6. et l. 42. Dig. de poenis.

Hinc si e. c. filius in lege onerosa nominetur, ei non subjicitur filia: item nec valet ex paritate, vel a minori ad majus argumentari; quia suprema auctoritas vult quandoque magis animadvertere in culpam, quae saepe admissa societati obest, quam in aliam vel aequalem, vel etiam deteriorem, quae tamen raro ac fere nunquam contingit. Ratione oppositorum, si circa materiam *favorabilem* versetur lex, ejus voces ampla significatione sive naturali, sive juridica protendantur. Quapropter si de lege agatur pro filiis utiliter constituta, filiorum nomine veniunt, praeter naturales etiam adoptivi, nomine legitimorum qui legitimati fuere (1). Duo tamen sunt casus, in quibus tam lata non admittitur interpretatio: prior est, si huic obstet legislator: alter, si bono publico vel privatorum eadem adversetur (2).

§. LXXIII.

Bina verba heic addenda supersunt de *Epicheja*, per quam, uti indicavimus (§. LXXI.), fit *impropria* legis interpretatio. Jure haec *impropria* appellatur, cum per eam, non sensus, non verba legis explicentur, sed censeatur potius legis obligationem cessare in

(1) L. 3. dig. de constit. Princip., et L. 25. dig. de legib.
(2) L. 2. §. VI. dig. Ne quid.

aliquo particulari casu, cui si prospexisset legislator, illum indubitanter excipi a lege voluisset. Usum *Epichejae* licitum quandoque fore in lege positiva certum est. Lex enim profecto non obligat praeter Superioris voluntatem. Quis vero arbitretur, Superiorem obligare velle iis in casibus, qui juxta prudentiae et aequitatis regulas in lege non continentur? Quin immo uti Epicheja necessum erit, si lex quaepiam cum lege superiori pugnet, si noxia sit communitati, si rectae rationi opponatur. In id universim Theologi consentiunt, quorum omnium instar sit nobis Angelicus dicens 1. 2. Quaest. 96. art. 6. = Contingit multoties, quod aliquid observari communi saluti est utile ut in pluribus, tamen in aliquibus casibus est maxime nocivum. Quia igitur legislator non potest omnes casus singulares intueri, proponit legem secundum ea, quae in pluribus accidunt, ferens intentionem suam ad communem utilitatem. Unde si emergat casus, in quo observatio talis legis sit damnosa communi saluti, non est observanda: sicuti si in civitate obsessa statuatur lex, quod portae civitatis maneant clausae, hoc est utile communi saluti, ut in pluribus; si tamen contingat casus quod hostes insequantur aliquos cives, per quos civitas conservatur, damnosissimum esset civitati, nisi eis

portae aperirentur: et ideo in tali casu essent portae aperiendae contra verba legis, ut servaretur utilitas communis, quam legislator intendit =. Haec dicta sint in hypothesi, qua constet ex circumstantiis Epichejam locum habere: verum si quis in dubio versetur, num lex casum aliquem respiciat, quid tum agendum? Huic instantiae brevi reponit cit. Doctor ibidem ad 2., quo duce, concludimus, Epicheja in posito casu uti non licere, cum oporteat *vel secundum verba legis agere, vel Superiorem consulere.*

ARTICULUS TERTIUS

De cessatione legis per consuetudinem.

§. LXXIV.

Externorum actuum similium frequentia Consuetudo generatim vocatur. Hanc primum in consuetudinem *facti* et *juris* Theologi distinguunt. Prior est eadem actuum frequentia vim legis non obtinens, de qua sermonem hic habere non juvat. Altera, quam *jus non scriptum, jus consuetudinarium* Doctores appellant, definitur a D. Isidoro lib. 5. Etymolog. cap. 3. *jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur cum deficit lex.* Rursus consuetudo *particularis* dicitur si alicubi tantum, *universalis*

si ubicumque servetur. Item quaevis consuetudo vel *juxta* vel *praeter* vel *contra* legem induci ac inolescere potest. Consuetudo *juxta* legem tum viget, cum apprime congruit legi praeexistenti; qua ex congruentia fit, ut lex non desuescat, sed usu magis roboretur (1). Consuetudo *praeter* legem nec convenit nec adversatur legi, sed jus novum, novamque obligationem constituit. Demum consuetudo *contra* legem ea est, qua lex scripta vel usu nunquam recipitur, vel, etiamsi recepta fuerit, usu contrario deinceps abrogatur.

§. LXXV.

Verum sive praeter sive contra legem existat consuetudo, haec vim legis assequi non poterit, nec legem extantem auferre, nisi plures accedant conditiones, quae ex communi jurisperitorum consensione ad sequentes revocantur.

Oportet itaque 1. ut consuetudo sit rationabilis; = hoc est neque juri Divino, neque naturali contraria, neque expresse a jure reprobata, aut in legislatoris contemptum invecta =. Ita scribit in Syn. Dioeces. Benedictus XIV. lib. 13. cap. 5., §. 5., cujus verba singulatim perpendantur. Juri Di-

(1) Ex Gratiani decret. Can. 3. distinct. 14.

vino adversari non debet consuetudo: huic enim si opponeretur iniqua prorsus foret, cum voluntate humana immutari non possint quae divinitus praecipiuntur, vel prohibentur (1). Nefas pariter est per consuetudinem juri naturali contraire; secus corruptio morum ea potius dicenda foret, quam honesta consuetudo, nam quidquid naturae legi repugnat intrinsece malum est (2). Itidem si a lege humana veluti prava ac bonis moribus noxia reprobetur, consuetudo non praevalet, quamquam immemorabilis ea sit, juxta illud vulgatum: *Consuetudo contra legem non valet, si lex resistat* (3). Postremo si in legislatoris contemptum invecta sit consuetudo, contemptum quoque legum ac regiminis parit. Obest ergo publico societatis bono, ideo naturam legis induere nequit (§. II). En quo sensu consuetudo rationabilis esse debet (4).

(1) Hac super re audiatur Angelicus ita praeclare scribens 1. 2. Quaest. 97. art. 3. ad 1. -- Lex Divina procedit a voluntate Divina: unde non potest mutari per consuetudinem procedentem a voluntate hominis... et inde est, quod nulla consuetudo vim legis obtinere potest contra legem Divinam —.

(2) Hinc recte dicitur Cap. 11. de consuet. — Nemo sanae mentis intelligit, naturali juri... quacumque consuetudine, quae dicenda est potius in hac parte corruptela, posse aliquatenus derogari —.

(3) Haec veritas colligitur potissimum ex Cap. Cum venerabilis 7. et Cap. Cum tanto 11. de consuetudine.

(4) Objicere tamen quis posset: lex quaelibet justa sit oportet ex (§. XXVI). Ergo injusta quaelibet opposita consuetudo.

2. Altera conditio haec est, ut a majori et graviori simul populi parte libere, frequenter, publice, et animo contrahendae obligationis consuetudo servetur. Diximus *a majori simul et graviori populi parte:* tum quia consuetudinem communem unius vel alterius privatae personae mos constituere nequit; tum quia nil aliud, quam abusus dicenda erit consuetudo, si viri probi atque sapientes eam veluti pravam rejiciant. Diximus ulterius *libere, frequenter, et publice*: nam actus per vim aut metum extorti, cum animo reluctante fiant, voluntatem non exprimunt agentis: actus non repetiti nullam consuetudinem pariunt, quae in eorum frequentia necessario consistit: actus occulti impediunt quominus vim legis consuetudo assequatur, quemadmodum promulgationis defectus efficit, ne lex obligationem inducat. Diximus tandem *animo contrahendae obligationis:* hic enim si deesset, consuetudo

Si injusta, ergo nec rationabilis. At negotium haec nobis difficultas non facessit, si in consuetudine initium a progressu discernamus. Cum a consuetudinis ortu lex vigeat, actus legi adversantes nec justi profecto erunt, nec rationi conformes: ideo neque rationabilis consuetudo. Unde ex communi sententia a culpa excusandi non sunt, qui primum consuetudinem contra legem inducunt. Sed lapsu temporis, sive in materia legis, sive etiam in ceteris adjunctis ea fieri potest immutatio, ut consuetudo jam inolescens omnino conveniat, atque lex pristina, utpote minus congruens abroganda videatur. Quo posito, emergit, quomodo consuetudo contra legem et justa et rationabilis esse valeat.

pro lege nunquam haberetur, cum obligandi intentio semper ad legem constituendam requiratur. Quocirca si ex pietatis tantum affectu plures consuetudines observentur a multitudine, vim legis nequaquam obtinebunt, licet earum actus libere, frequenter, ac publice exerceantur. Tum autem censendum erit consuetudini se se obstringere populum voluisse, si in ejusdem transgressores animadvertat suprema auctoritas: si a non servantibus consuetudinem ceteri scandalum patiantur: si necessaria sit consuetudo vel admodum utilis bono publico, cui quisque pro munere, cum valeat, prospicere tenetur: si demum perdifficiles et ardui sint consuetudinis actus; siquidem, obligationis vinculo non extante, communis populi consensio in abstrusis perficiendis non adeo facile reperitur.

3. Consuetudo porro haud profecto roborabitur, nisi accedat legislatoris consensus, qui non una ratione praeberi potest. *Expressus* quippe hic dicitur, ac *personalis*, si jam inolitam consuetudinem scriptis aut verbis permittat legislator: *tacitus*, si populi morem non ignorans, eidem non repugnet, cum libere posset: *legalis*, seu *juridicus*, si per leges generatim approbet, ac pro ratis habendas esse decernat consuetudines omnes, quibus requisitae conditiones non desunt.

4. Ad hoc ut consuetudo firmitatem acquirat necessaria conditio est temporis diuturnitas, de qua hisce verbis fit mentio in jure civili L. 33. dig. de legib: = Ea, quae longa consuetudine approbata sunt, et per annos plures observata, veluti tacita civium conventio, non minus, quam ea, quae scripta sunt jura, servantur =. Verum quale sit hoc temporis intervallum ex jure ecclesiastico certe non constat, cum in eo tantum indefinite *usus longaevus* designetur. Hinc ortum duxit gravissima inter Sacrae Theologiae, jurisque Canonici scriptores disceptatio, circa quam ut caute simul ac rite procedamus, animadvertere nobis opus est, consuetudinem dupliciter invalescere posse: nimirum *per conniventiam* legislatoris, qui eam noscit, nec rejicit, aut etiam *vi praescriptionis*, si ponatur, consuetudinem legislatori non innotescere. Si *per conniventiam* induci fingatur consuetudo contra legem, quae nunquam usu recepta ac servata fuerit, diuturnitatem temporis non requiri, Theologi universim concludunt cum Benedicto XIV. de Syn. Dioeces. loc. cit. §. 3. dicente: = Certum videtur, nullum temporis spatium esse necessarium, quando legislator scit, suam legem non recipi, et cum commode possit ejusdem observationem urgere, dissimulat, tacetque, neque in trans-

gressores animadvertit: tunc quippe post paucos actus a superiore toleratos praesumitur, quod idem per hanc conniventiam suam legem tacite revocet, nolitque ea obstringere communitatem =. Eadem praesumptio aeque prorsus viget pro consuetudine sive contra legem jam receptam, sive praeter legem inducta, sciente, nec repugnante legislatore. Hactenus una est Theologorum sententia (1). Sin vero legislatorem lateat consuetudo, haec vi praescriptionis firmatur: at quandonam legitime praescripta dicenda sit, hoc opus, hic labor est definire. Decennalem praescriptionem sufficere tum ad consuetudinem praeter legem inducendam, tum etiam ad legem quamlibet civilem per contrarium usum abrogandam, in confesso est apud omnes. Non idem plane consensus quoad consuetudinem legi ecclesiasticae adversantem. Plures contendunt decennium tantum requiri, ut contra Ecclesiae legem vere dici valeat consuetudo praescripta. Inquiunt enim, nullum hac in re admittendum fore discrimen inter jus ecclesiasticum et civile, cum nullibi hujusce discriminis vestigium in jure adnotetur (2).

(1) Consulantur Lessius lib. 2. de just. et jur. Cap. 6. N. 45., Reiffenstuel in lib. 1. decret. tit. 4. N. 93., et alii, quos citat Ferrarius in Bibl. Can. verb. consuetudo N. 26.

(2) Huic adhaerent opinioni Lessius ibidem N. 46., de Lugo

Quadragenariam praescriptionem pro consuetudine adversus leges canonicas exigunt plerique (1) eo ducti principio, quod jura simul ac res immobiles Ecclesiae nonnisi quadraginta annorum spatio praescribuntur (2). Alii denique cum Suarezio media quadam incedentes via necessarium asserunt quadraginta annorum tempus, ut lex jam servata per appositam consuetudinem abrogetur: ad delendam vero legem nondum moribus receptam decennium sufficere existimant cum Glossa in cap. ultim. de consuetudine in 6 (3). Interim quodnam e tribus hisce placitis praeferendum? Adeat studiosus lector Benedictum XIV. de Synodo Dioecesana loc. jam sup. cit. §. 3. et 4.

§. LXXVI.

Triplici speciei consuetudinis, quam postremo loco indicavimus (§. LXXIV.) triplicem effectum respondere, ex hucusque tra-

lib. da Just. et Jure disput. 7. Sect. 6. N. 94., Reiffanstual ibidam N. 105., ac cateri non pauci.

(1) Istiusmodi doctrinam amplectitur cum Laymano, Diana et Abbate Prospar Fagnanus Cap. de tregua et pace N. 40. et 67.

(2) Principium, cui praafati auotores innitnntur in jure fundatur, ac praecise in Cap. Audistis 15. de praascription. et Cap. Cum Ecclasia 3. de causa possessionis.

(3) Postramam hanc santentiam veluti practice certam sectandam docet Suarazius lib. 4. de lagib. Cap. 16. N. 11., aamque communioram appellat jam pluries citatus Summus Pontifex ibidem §. IV.

ditis luculentissime apparet. Hac in re totum paucis comprehendit D. Thomas 1. 2. Quaest. 97. art. 3. inquiens: *consuetudo et habet vim legis, et legem abolet, et est legum interpretatrix.* Quibus ex verbis ita nobis concludere libet.

1. *Consuetudo habet vim legis:* ejus ergo effectus est novam legem inducere. Id autem praestat consuetudo *praeter* legem, si rationabilis eadem sit; si animo contrahendae obligationis a majori ac meliori communitatis parte servetur; si a legislatore non rejiciatur; si tandem convenienter fuerit praescripta modo, quo supra diximus (§. LXXV). Hinc ait apposite D. Augustinus ep. 86. ad Casulanum: = In iis rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura Divina, mos populi, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt; et sicut praevaricatores Divinarum legum, ita contemptores ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt =.

2. *Consuetudo legem abolet:* alter igitur consuetudinis effectus est, ut lex praeexistens, utpote obsoleta ac revocata omnino deleatur. Quod quidem proprium est consuetudinis *contra* legem, dummodo in ea conditiones jam relatae concurrant. Huic veritati jus apprime consentit: legimus quippe L. 32. dig. §. de legibus: = Rectissime receptum est, ut leges non solum suffragio legislato-

ris, sed etiam consensu omnium per desuetudinem abrogentur =.

3. *Consuetudo est legum interpretatrix:* effectus ergo a consuetudine *juxta* legem procedens in hoc consistit, ut ambages a lege penitus removeantur, ejusque sensus per usum declaretur.

§. LXXVII.

Consuetudinem quamlibet, licet immemorabilem per legem subsequentem auferri posse testatur Bonifacius VIII. cap. 1. de constit. in 6. Accedit ratio naturalis, qua sic argumentamur. Consuetudo vim legis non consequitur nisi per legislatoris tacite saltem consentientis auctoritatem. Sed auctoritas cui competit rem firmare, eam et pro lubitu dissolvere potest. Nihil ergo impedit, quin per legem subsequentem consuetudo deleatur. Immo neque dubium est, consuetudinem vi alterius subsequentis ac oppositae consuetudinis abrogari. Etenim lex praecedens per contrariam subsequentem consuetudinem tollitur ex (§. praeced. N. 2). Cur ergo id aeque fieri non poterit de praecedenti consuetudine, quae profecto majorem firmitatem non habet, quam lex praecedens? Porro quoad abrogationem consuetudinis, quae fit per legem, inter particularem et universalem consuetudinem distin-

guere necesse est. Si particularis ea sit, per legem universalem non revocatur, quia praesumitur legislatorem illam ignorare, ideo nec auferre voluisse. Si tamen in lege vel consuetudo expresse reprobetur, vel clausula ibi fuerit apposita: = non obstante consuetudine qualibet contraria = : tum penitus consuetudo perimitur. Heic autem communiter Doctores animadvertunt, leges, quibus adjecta fuerit clausula praedicta, consuetudinem jam existentem utique auferre, non tamen impedire futuram: ulterius asserunt per istiusmodi clausulam tolli non posse consuetudinem *immemorabilem*, nisi in lege speciatim memoretur, cum ratione diuturnitatis firmitate ea gaudeat, vique majori, quam ceterae consuetudines (1). At si de *universali* consuetudine agatur: haec legislatori probe innotescere censetur. Ergo si quaevis etiam clausula praetermittatur, eadem semper abrogationem patitur ob legem absolutam sibi adversantem: hanc quippe legem, in comperto est, legislatorem consulto edidisse, ut consuetudinem universalem everteret.

(1) E plurimis indicare sufficiat Baldum L. unic. cod. de Annonis; Barbosam Caus. 87. N. 4. et 8., Castropalaum part. 1. tract. 3. disput. 3. punct. 5. §. 1. et 10., Antoine tract. de legib. Sect. 3. Cap. 9. de consuetudine Quaest. 7.

SECTIO SECUNDA

DE LEGIBUS SPECIATIM.

§. LXXVIII.

Priori hujusce partis sectione de legibus in genere jam satis pro munere, uti censemus, absoluta, reliquum nobis est, ut ad eas peculiariter expendendas in praesens accedamus. Ut autem res tanti momenti definitis quibusdam limitibus circumscribatur, in antecessu monemus cum Angelico Doctore (1), cuncta legis aeternae ac naturalis officia ad moralia referri praecepta, quae *Decalogum* constituunt, atque in iisdem plura veluti principia in conclusionibus proximis, plurima etiam ceu conclusiones in principiis comprehendi. Animadvertimus pariter quoad leges humanas, de iis potissimum a viro theologo disserendum fore, quae ab Ecclesiae auctoritate procedunt. Cum igitur de lege Divina simul et humana speciatim heic sermonem instituere deceat; *Decalogi,* et *Ecclesiae praecepta* duplex erunt secundae sectionis argumentum, quod per capita et articulos ilicet explanandum suscipimus.

(1) Vide D. Thomam 1. 2. Quaest. 100. integro art. 3.

CAPUT PRIMUM

DE DECALOGO.

LXXIX.

Pro duplici graeca voce, qua constat, nihil aliud exprimit Decalogus, quam *decem verba*, seu *sententias*, totidemque dominica mandata complectitur, quae prius in antiquo Foedere tabulis lapideis consignata, ac filiis Israel indicta fuere, quaeque rursus in Evangelica Lege Christus Redemptor nova sanctíone roboravit. Quoad decennarium numerum hujusmodi praeceptorum conveniunt omnes catholici aeque ac judaei, quamvis circa eorundem partitionem varia opinentur. Communior sententia tamen ea est, quam serm. 9. *de decem chordis* utpote magis congruentem recipit Hipponensis Episcopus dicens: = Decalogus legis decem praecepta habet, quae.... sic sunt distributa, ut tria pertineant ad Deum, septem pertineant ad homines = (1). Haec porro divina praecepta enuntiantur Cap. 20. Exodi ac Deuteronomii 5., ubi tamquam Legislator Supremus populum Israel ita Deus affatur:

(1) Hujusce controversiae statum idem Augustinus exponit Quaest. 61. in Exodum, ibique suam doctrinam defendit, rejecta praeceptorum divisione, quam effingunt Joseph lib. 3. antiquit. Cap. 4; Philo lib. de Decalogo, Origenes Homil. 8. in Exodum, et Hesychius in Leviticum.

Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis.

1. *Non habebis Deos alienos in conspectu meo. Non facies tibi sculptile, neque similitudinem omnium, quae in coelo sunt desuper, et quae in terra deorsum, et quae versantur in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles.*

2. *Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra.*

3. *Observa diem Sabbati, ut sanctifices eum.*

4. *Honora patrem tuum, et matrem.*

5. *Non occides.*

6. *Non moechaberis.*

7. *Furtumque non facies.*

8. *Nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

9. *Non concupisces uxorem proximi tui;*

10. *Non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa quae illius sunt* (1).

En tota universi juris Divini Summa, de qua singillatim.

(1) Repetitio Decalogi, quae fit a Mose Deuteronomii Cap. 5; nonnullis vocibus dumtaxat immutatis, perfice consonat legi, quae refertur Exodi Cap. 20; in Horeb divinitus vulgatae. Cur autem a Deuteronomio potius, quam ab Exodo recipimus Decalogum? Animadvertat studiosus Lector, duo postrema praecepta in unum commixta in Exodo proferri, distincta in Deuteronomio. En ratio, ob quam in iisdem recensendis placuit posteriorem enumerationem amplecti.

ARTICULUS PRIMUS

De I. Decalogi praecepto.

§. LXXX.

Speciem quamlibet superstitionis, profanos ethnicorum ritus, qui jam dudum in orbe longe, lateque invaluerant, Divinus Legifer primo Decalogi mandato proscripsit. Vi hujusce praecepti generatim vetitus erat filiis Israel inanium deorum cultus, (1) quorum simulacra, et imagines nec effingere poterant, nec servare (2). Si quis e populo indictae legis trangressor extitisset, ad portas civitatis, Deo sic jubente, lapidibus obruebatur (3). Speciatim autem plura veluti e diametro huic divino praecepto adversantia conspicimus in Pentateucho judaeis interdicta.

Nam 1. uti scelus omnium flagitiosissimum prohibebatur cultus Moloch, (4) nec

(1) Exodi Cap. 20. v. 3.

(2) Exodi ibid. v. 4. et 23. Levitici Cap. 19. v. 4.

(3) Exodi Cap. 22. v. 20. Deuteronomii Cap. 13. v. 12; et Cap. 17. v. 2.

(4) Levitici Cap. 18. v. 21. Circa numen, de quo heic disserit Sacer Textus, inter antiquitatis Scriptores maxime disputatur. Seldenus Syntagm. 1. de Diis Syris Cap. 6. et Grotius adnot. in Cap. 18. Deuteron. Saturnum hoc esse autumant: Martem Kircherus Oedipi Aegypt. Syntagm. 4: Mercurium in Cap. 1. Amos Arias Montanus: Sanctius in actuum 7. contendit illud fuisse idolum Ammonitarum ignotum; alii alia conjectarunt: unde hac in re nil certi concludi potest.

non cruenta liberorum oblatio una cum lustrationibus, quae eidem numini fieri solebant (1).

2. Nefas item judaeis erat caeremonias, quae superstitionem redolebant exercere, sicuti capitis tonsiones in orbem; carnis incisiones super mortuis; stigmata, quibus inurebantur idololatrae cujuspiam divinitatis honori se se devoventes (2).

(1) Deuteronomii Cap. 18 v. 10. Mos gentium antiquarum immanis, quo in honorem Moloch Liberi interficiebantur aut lustrabantur, plana eruitur ex Jeremiae Cap. 19. v. 5. Cap. 32. v. 35. Lustrationes porro fiebant, cum per ignem filii traducerentur, qui hac ratione Moloch initiati dicebantur. Ad tantum facinus ethnicos parvenisse, ut in obsequium numinum liberos immolarent, profani testantur quoque scriptores, ac praesertim Philo Biblius ex Sanchuniatone in Phoenicum historia, at Porphyrius lib. 2. de abstinentia, de quibus consuli poterit Eusebius lib. 4. Praeparat. Evangel. Cap. 16. Item nefaria haec holocausta commemorat Plato in Minoe, Justinus ex Trogo Pompejo lib. 18. et Plutarchus lib. de superstitione.

(2) Levitici Cap. 19. v. 27. 28. Cap. 21. v. 1. 5., et Deuteronomii Cap. 14. v. 1. In cultum Solis tonsionem, quam Deus vetat in Deuteronomio, ethnicos adhibuisse existimant Bochartus Geographiae Sacrae part. 1. lib. 1. Cap. 6., Grotius adnotat. in Levitic., tum etiam nonnulli interpretes catholici. Contra sentit Theodoretus Quaest. 13. in Deuter; eique adhaerent Spencerus de legib. ritual. Hebraeorum lib. 2. Cap. 12; et alii, qui censent hic agi de peculiari tonsionis genere, quod, Plutarcho teste lib. de Consolat., usurpabant in funeribus defunctorum veteres: hi namque capillos in eorum cadavera injicere consuaverant, sibique lacertos incidebant, ut Deos manes redderent placatos. Verior haec sententia videtur, utpote conformis loco Deuteron. cit: — Non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo —; eamque amplectuntur Minucius Felix in Octavio, Divusque Hieronymus in Cap. 16. Jerem. Stigmata

3. Neque tandem licebant incantationes, auguria, maleficia, pythonum, divinorumque consultationes (1). Cuncta haec, quae recensuimus idololatriae superstitiosa crimina, extremo supplicio in veteri Testamento plectebantur (2).

§. LXXXI.

Primum Decalogi praeceptum huc usque *negative* sumptum universim ea vetat, quae cultui divino adversantur: qua vero parte *affirmativum* est, cuique jubet Supremum rerum Conditorem, Gubernatorem, ac Dominum religiose colere, et revereri (3). De hoc maximo rationalis creaturae officio disserens Angelicus Doctor 1. 2: Quaest. 101. art. 2. inquit: = Est autem duplex cultus Dei, *interior*, et *exterior*. Quum enim homo sit compositus ex anima, et corpore, utrumque debet applicari ad colendum Deum; ut scilicet anima colat interiori cultu, et cor-

demum judaeis interdicta notae quaedam erant, quibus ethnici falsis diis solemniter mancipabantur, quasque fronti, manui, aliisve corporis partibus typis vel acubus candentibus imprimebant. De hoc ritu, quem insaniam appellat Philo lib. 1. de Monarchia, disserunt Quaest. 28. in Leviticum Theodoretus, et Primasius Comment. in Ep. ad Romanos Cap. 1.

(1) Levitici Cap. 19. v. 26. 31., Deuteronomii Cap. 18. v. 10.

(2) Exodi Cap. 22. v. 18., Levitici Cap. 20. v, 2. 27.

(3) Quid Scholastici intelligant nomine praecepti affirmativi et negativi, jam explicavimus lib. 1. Institutionum pag. 90.

pus exteriori: unde dicitur in Psal. 83. *Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum* =. Huic veritati, quam per verba D. Thomae tradidimus perperam obsistere conantur deistae, cum utriusque cultus congruentia simul ac necessitas invictis rationum momentis facile demonstretur. Ad horum veluti specimen sit

Argumentum 1. Duplicem substantiam, qua hominem constare noscimus, a Deo esse universorum Creatore nemini prorsus latet. Utraque ergo cum a Deo sit, Divino subjicitur dominio. Porro si Deus et animae et corporis dominus est, postulat recta ratio, ut obsequium, ut famulatum sive spiritualem sive corporeum huic aeterno Imperanti quisque mortalium exhibeat.

Argumentum 2. Bona cuncta animi et corporis, quibus homines fruuntur, gratuita munera sunt nobis divinitus conlata. Aequum igitur est, ut pro tot receptis beneficiis tum pio animi affectu, tum etiam sensibus corporeis Divinae largitati grates rependantur. Idipsum a ratione concludit D. Bernardus serm. 22. de diversis N. 9. En S. Doctoris verba: = Totum ergo, quod es, illi debes, a quo totum habes: illi praecipue Domino, qui et te fecit, et benefecit tibi, qui tibi ministrat syderum cursus, aeris temperiem, fecunditatem terrae, fructuum ubertatem.

Huic revera totis medullis, totis viribus serviendum = (1).

Argumentum 3. Cultus internus atque externus adeo inter se devinciuntur, ut, uno posito, alter sit necessario admittendus. Quid namque cultus religiosus erit, si in actibus extrinsecis tantum consistere fingatur? Nil aliud profecto, quam simulatio odibilis coram eo, qui hominum *corda et renes scrutatur*. Item cultus interior diu ne servari posset, actu quolibet externo remoto? Cum ea sit naturae humanae conditio, ut ad spiritualia per temporalia trahamur, plane consequitur, interiorem cultum excitari, foveri, non posse, nisi per cultum externum. Hunc deme, ac sensim etiam cultum internum tolles. Hoc quoque sublato, quomodo Religio stabit? Tantum igitur utrumque cultum interest exercere, quantum hominibus est necessaria Religio (2).

(1) Eodem argumento disertis hisce verbis utebatur Lactantius lib. 4. Divin. Inst. Cap. 3. — Si Divinitas, quae gubernat hunc mundum, incredibili beneficio genus humanum sustentat, et quasi paterna indulgentia fovet, vult profecto gratiam sibi referri, et honorem dari —.

(2) Ex dictis jam liquet, omnino desipere incredulos aevi proxime elapsi, qui in epistolis sinensibus, judaicis, caballisticis, peruvianis, aliisque consimilibus putidis libellis externum Religionis cultum inanem proferre non verentur. Hac de re praeter D. Augustinum de civit. Dei lib. 10. Cap. 19. legi poterunt D. Thomas lib. 3. contra gentes Cap. 119; ac recentiores Apologistae.

§. LXXXII.

Ad cultum divinum pertinent actus omnes, qui virtutibus theologicis tribuuntur; nam, ut inquit D. Augustinus in Enchiridion Cap. 2: *Deus Fide, Spe, et Charitate praecipue colitur.* Ad eundem quoque referuntur actus, qui virtutem Religionis constituunt. En ratio, cur nonnulli Ethicae Sacrae scriptores pro methodi ratione ab iis recepta disserentes de primo Decalogi mandato disputationem de virtutibus theologicis, vel de virtute religionis instituant. Haec tamen in praesentiarum nobis praeterire libet, cum de virtutibus, earumque actibus singulatim ac opportune disceptandum sit in 3. Institutionum libro.

ARTICULUS SECUNDUS

De II. Decalogi praecepto.

§. LXXXIII.

Ineffabile Dei nomen contemnere, illud quoquo modo irreverenter usurpare vetat praeceptum alterum Decalogi, cui quatuor praesertim opponuntur. Haec autem sunt

1. Locutio quaevis contumeliosa adversus Divinitatem, quae communiter *blasphemia* appellatur.

2. Assumptio Dei nominis per *juramentum*, cui una desit vel altera ex conditionibus, quae Jeremiae Cap. 4. v. 2. hisce verbis enumerantur: *Jurabis, vivit Dominus in veritate, et in judicio, et in justitia*.

3. Quaelibet promissio Deo facta de re inutili, aut vitiosa: item *votorum* neglectus; haec enim absque contemptu Divinitatis, cui quis se se obstrinxit, praetermitti non possunt (1).

4. Ludicra demum, ac inanis quaeque Divini Nominis pronunciatio. Huic doctrinae penitus convenit illud Ecclesiastici Cap. 23. v. 10. *nominatio Dei non sit assidua in ore tuo*. Idipsum sentit D. Chrysostomus homil. 10. in act. Ap. inquiens: = Si dilexeris quempiam, ad nomen illius excitatior efficeris: Deum autem sic continuo vocas quasi nihil? Voca illum ut benefacias inimico; voca illum in salutem animae tuae, tunc aderit, tunc letificas illum: nunc autem exacerbas. Voca illum sicut vocavit Stephanus dicens: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*. Voca illum, ut vocavit uxor Elcanae cum lacrymis, cum lamentis, cum oratione =. Accedit Theodoreti auctoritas Quaest. 41. in Exodum

(1) Non est, cur heic immoremur circa blasphemiam, juramentum, et votum, quae vix in hoc paragr. indicantur; de iis namque tum sermo erit, cum rerum dicendarum ordo id magis postulare videbitur.

ita scribentis: = Ego puto, divinam legem statuere, ne quis nomen Dei pronunciet sine aliqua ratione aut docendi, aut orandi, aut necessariae cujuspiam occasionis. Solent enim nonnulli etiam ludentes, et ridentes, ut inciderit, reverendum nomen Dei lingua proferre. Hoc arbitror, divina lege prohiberi. Si enim consueverunt multo pretiosiorem vestem diebus festis reservare, multo magis Divinum Nomen precibus, atque docendi officio aequum est conservare = .

§. LXXXIV.

Praeceptum, de quo nunc agimus, imperat, quatenus *affirmativum* est, ut Sanctum Dei nomen qnisque revereatur. Quibusnam vero modis id fieri debeat, liquido apparet ex Catechismo Concilii Tridentini part. 3. de 2. Decal. praec. Cap. 3. ubi sequentia traduntur: = Quamvis multiplex sit ratio laudandi Divini Nominis, tamen in iis, de quibus deinceps hic dicetur, vis, et pondus omnium videtur esse.

1. Igitur laudatur Deus, cum in omnium conspectu Deum ac Dominum nostrum fidenter confitemur, Christumque salutis nostrae auctorem quemadmodum agnoscimus, ita etiam praedicamus (1).

(1) Quandonam hujusce confessionis urgeat praeceptum definiendum erit lib. Instit. 3; ubi de Fide Theologica speciatim.

2. Itemque, cum verbo Dei, quo voluntas ejus enunciatur, sancte et diligenter operam damus, in ejus meditatione assidue versamur, studiose illud addiscimus, aut legendo aut audiendo, perinde ut cujusque personae aut muneri aptum et consentaneum est.

3. Deinde Divinum Nomen veneramur, et colimus, cum officii et religionis causa divinas laudes celebramus, ac de omnibus rebus tum prosperis, tum adversis illi singulares gratias agimus.

4. Neque vero minus Dei nomen honoratur, si fidenter ejus opem imploramus, quo scilicet, aut nos *a malis* liberet, aut ad eadem fortiter perferenda constantiam et robur largiatur.

5. Praeterea Dei Nomen honore prosequimur, cum fidei faciendae causa testamur Deum: qui modus a superioribus valde differt. Nam quae supra enumeravimus ita suapte natura bona sunt, atque expetenda ut nihil homini beatius, nihilque optabilius possit esse, quam si in illis seduło exequendis seipsum dies noctesque exerceat. *Benedicam,* inquit David, *Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meò* (1): at jusjurandum licet bonum sit; ejus tamen frequens usus minime est laudabilis =.

(1) Psalmo 33. v. 1.

ARTICULUS TERTIUS

De III. Decalogi praecepto.

§. LXXXV.

Inter moralia praecepta recensendum est tertium Decalogi mandatum, cum per illud firmetur lex ipsa naturalis, qua omnes generatim aliquid temporis Divino cultui impendere jubemur. Verum non morale tantum, sed caeremoniale simul erat, ac proprium gentis judaeorum; eo quippe constituta fuerat hebdomadae septima quaeque dies, ut ab operibus quiesceret populus electus, Deique laudibus unice vacaret. Hanc porro diem observare tenebantur Judaei, ne obliviscerentur mirabilium, quae patraverat Deus, tum a mundi exordio in rerum creatione, tum etiam in terra Aegypti, ut eos e manu Pharaonis eriperet. Luculenter id constat e sacro textu; postquam enim dixerit Deus Exodi Cap. 20. v. 8. *Memento, ut diem Sabbati sanctifices,* paucis interjectis, subdit v. 11: *Sex enim diebus fecit Dominus coelum et terram, et mare, et omnia, quae in eis sunt, et requievit in die septimo: idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, et sanctificavit eum.* Rursus in Deuteronomio Cap. 5. v. 15. *Memento quod et ipse servieris in Aegypto, et eduxerit te inde Dominus*

Deus tuus in manu forti et brachio extento: idcirco praecepit tibi, ut observares diem Sabbati.

§. LXXXVI.

Ad Sabbati custodiam opera quaelibet servilia judaeis adeo interdicebat lex divina, ut iis nec longum iter suscipere, nec parare cibos, nec ignem succendere, aut colligere ligna eo tempore liceret (1). Transgressores autem Sabbati morti dabantur (2). At si judaeis tum quiescendum erat ab operibus temporalibus, non vetabantur interim charitatis opera vel necessitatis: hinc poterant e. c. proximo egenti opem conferre, poterant ad hostium ausus repellendos committere praelium, quin diem Sacrum violarent (3). Ad hujusce porro diei observantiam peculiare Sacrificium divinitus institutum fuerat (4), eique accedebant sacri conventus, Divinarum Scripturarum lectiones, et preces; quibus omnibus hebraeorum pietas fovebatur (5).

(1) Exodi Cap. 20. v. 10. Cap. 35. v. 3. Deuteronomii Cap. 5. v. 14. Numerorum Cap. 15. v. 35.

(2) Exodi Cap. 31. v. 14. Cap. 35. v. 2.

(3) 1. Machabeorum Cap. 2. v. 41.

(4) Numerorum Cap. 28. v. 9. et 10.

(5) De hoc testes habemus Josephum lib. 1. contra Apionem, et Philonem lib. 3. de vita Mosis, utrumque suae gentis morum peritissimum.

§. LXXXVII.

Cum ante legem Mosis nullibi reperiatur indicta Sabbati sanctificatio, merito infertur, Patriarcharum aevo hujusmodi praeceptum non extitisse (1), sed tum primum impositum fuisse judaeis, cum Decalogus in Sina promulgationem obtinuit (2). Nonnullorum veterum opinio fuit, hebraeos non modo, sed gentes quoque septimam diem veluti sacram observasse. Ita prae ceteris existimarunt Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Antylochum, et Eusebius praeparationis Evangelicae lib. 13. Horum tamen sententia unanimi sensu rejicitur: judaeos namque Sabbati cultum cum ethnicis haud habuisse communem, patet e Sacris Literis, e quibus edocemur, voluisse Deum, ut electus populus amussim per illud a profanis quibuscumque nationibus discerneretur. *Custodiant*, inquit Deus Exodi Cap. 31. v. 16. 17., *custodiant Filii Israel Sabbatum, et celebrent illud in generationibus suis. Pactum*

(1) Insimul concinunt hac in re Justinus Martyr dial. cum Tryphone, Irenaeus lib. 4. adversus haereses Cap. 30., ac Tertullianus lib. in Judaeos Cap. 2; eisque penitus adhaerent tum Eusebius lib. 7. Praepar. Evang; et lib. 1. Histor. Eccles. Cap. 4; tum etiam Theodoretus Comment. in Cap. 20. Ezechielis.

(2) Praeter loca super not. Exodi ac Deuteronomii videatur Ezechiel. eod. Cap. 20. v. 12; et lib. 2. Esdrae Cap. 9. v. 14.

est sempiternum inter me, et filios Israel, signumque perpetuum. Item Ezechielis Cap. 20. v. 20. *Sabbata mea sanctificate, ut sint signum inter me, et vos.* Jam vero quomodo esse poterat signum inter Deum et Israelitas Sabbati custodia, si hanc diem et gentes religiose coluissent (1)?

§. LXXXVIII.

Dies alios solemnes ac sanctos praeter Sabbatum in lege veteri Deus constituerat quotannis celebrandos: festa nempe *Azymorum, Primitiarum, Tubarum, Expiationis,* et *Tabernaculorum,* quae singula describuntur Levitici Cap. 23.

Azymorum festum ad septem dies protendebatur, atque exordium sumebat a quinta decima die mensis *Nisan,* qui primus erat in mensibus anni (2). Pridie autem ad ve-

(1) Traditam veritatem inter Patres confirmat Cyrillus Alexandrinus Homil. 2. de festis paschalibus, cui lubenter accedit Theodoretus dicens loc. cit: — nulla alia gens hoc otium observabat.... Sabbati enim observationem sola judaeorum natio custodiebat —. Idipsum habemus ex Josepho Flavio lib. 14. antiquit. judaic. Cap. 18; et lib. 2. de bello jud. Cap. 16; qui sanctificationem Sabbati morem patrium, et judaeorum genti proprium appellat. Immo nec desunt pro re nostra ethnicorum scriptorum auctoritates, Iustini videlicet ex Trog. Pomp. lib. 36. Historiar; Taciti lib. 5. Histor. de judaeis, at Dionis Cassii Histor. lib. 37.

(2) Menses Judaeorum lunares erant: annus autem duplex, ecclesiasticus et civilis. Ille ordiebatur a mense Martio, qui dicitur Nisan; hic vero a mense Tisri, qui Septembri respondet.

speras per esum agni immaculati *Pascha* fiebat (1). Quamvis priori tantum ac postrema die feriaretur, integro tamen eo temporis decursu azymis vescebatur populus Israel et Sacrificium quotidie offerebat. Divinitus instituta fuit haec solemnitas, ut perpetuo memoraretur cruenta plaga, qua Deus, ut judaeos liberaret, primogenitorum caede percussit Aegyptios (2).

Festum *Primitiarum*, graece *Pentecostes* fieri debebat, septem sabbatis post Pascha elapsis, hoc est, die sexta mense Sivan, qui tertius anni erat. Spicarum manipulus, ac primitiae messis Domino consecrabantur una cum Agni holocausto ac libamentis, ut recoleretur, legem Mosis quinquagesima die ab exitu Israel de Aegypto in monte receptam fuisse (3).

Tubarum festum bucinae clangore indicebatur, ac *Neomenia* legitur appellatum, cum prima die celebraretur Mensis Tisri, anno civili ineunte (4).

(1) Pascha, seu Pesach a radice pasach, transiit, vel Angeli transitum significat per terram Aegypti primogenitos interficientis, vel transitum Hebraeorum a servitute ad libertatem.

(2) Vide Exodi Cap. 12., Levitici Cap. 23. Numerorum Cap. 28.

(3) Ibidem Levitici vers. 10.

(4) Ibidem v. 24. Cur Neomenia fuerit constituta, non exprimitur in Sacro Textu. Hinc variae interpretum sententiae. Tubarum concentum adhibitum fuisse, ut nunciaretur populo anni civilis initium, censet R. Maimonides. Uti probabilius hoc

Expiatio die decima ejusdem mensis locum habebat. Ea propitiationis die holocaustum offerebat Sacerdos, seseque affligebant judaei in peccatorum remissionem (1).

Tabernaculorum tandem septem erant feriae, quae post messem a quintadecima die mensis Tisri usque ad vicesimam primam solemnes habebantur. Plurimae in iis victimae et libationes. In umbraculis, subque tentoriis ramis arborum contextis tum inhabitabant judaei; ideo *Scenopegia* haec festivitas e graeca voce nuncupabatur, idest tabernaculorum erectio. Eandem porro noscimus praeceptam, sive in gratiarum actionem pro frugibus terrae conlectis, sive ut memoria servaretur annorum quadraginta, quibus in tabernaculis morabantur filii Israel, cum in deserto peregrinarentur (2).

At cunctae sollemnitates praedictae, quae ad tertium Decalogi praeceptum referuntur,

placitum amplectitur Augustinus Calmet in suis Comment. Hic autem in eundem Levitici locum ita scribit: — Non incongrue arbitraremur, sanciendi illius (Festi) consilium fuisse potissimum, ut agerentur Deo grates pro collatis elapso anno beneficiis, novisque in annum ineuntem impetrandis —.

(1) Vide Leviticum ibid. v. 27.

(2) Ibidem v. 34. De hoc argumento, quod peculiarem meretur in historia populi Dei tractationem, pro opportunitate consuli possent Natalis ab Alexandro Histor. Eccles. Vet. Testam. in 4. Mundi aetatem dissertat. 3., art. 3. §. 5., Simonius in magno dictionario biblico, atque prae ceteris Augustinus Calmet tum in diction. bibl., tum in comment. in Exodum, et Leviticum.

quaeque *feriae Domini sanctae* in Levitico Cap. 23. vocantur, ad leges caeremoniales veteris legis cum pertinerent, jam desiere, quemadmodum colligitur ex (§. XXII. et XXIII. praec.)

ARTICULUS QUARTUS

De IV. Decalogi praecepto.

§. LXXXIX.

E pluribus legis naturalis officiis, quae proximo exhibenda praescribit secunda Decalogi tabula, praecipuum obtinet locum honor, quem parentibus impendere tenemur: quartum enim Divinae Legis mandatum inquit: *Honora patrem tuum et matrem, sicut praecepit tibi Dominus Deus tuus* (1). Officium de parentibus honorandis in Sacris Literis, ac praesertim in libro Ecclesiastici summopere commendatur pluribusque sua-

(1) Exodi Cap. 20. v. 12., Deuteronomii Cap. 5. v. 16; Matthaei Cap. 15. v. 4. et Cap. 19. v. 19., Epist. ad Ephesios Cap. 6. v. 1. et 3.

Si quis deposcat, cur ceteris officiis, quae quidem cuncta gravissima sunt, honor parentibus debitus in Decalogo praeferatur, huic instantiae sic brevi reponit Angelicus 2. 2. Quaest. 122. art. 5: — Praecepta Decalogi ordinantur ad dilectionem Dei et proximi. Inter proximos autem obligamur maxime parentibus; et ideo immediate post praecepta ordinantia nos in Deum ponitur praeceptum ordinans nos ad parentes, qui sunt particulare principium nostri esse, sicut Deus est universale principium.

detur pollicitationibus: ibi namque legimus Cap. 3. v. 5. et seq. = Sicut qui thesaurizat, ita et qui honorat matrem suam. Qui honorat patrem suum jucundabitur in filiis, et in die orationis suae exaudietur.... Qui honorat patrem suum vita vivet longiore... Qui timet Dominum honorat parentes... In opere et sermone et omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo maneat =. Tanti muneris custodiam ipsa ratio nobis insinuat, atque sensu quodam naturae ad illud vel inviti movemur. Parentes quippe = sunt immortalis Dei quasi quaedam simulacra, in iisque ortus nostri imaginem intuemur; ab iis nobis vita data est; iis Deus usus est, ut nobis animum, mentemque impertiret; ab iis ad Sacramenta deducti, ad Religionem, ad humanum cultum, civilemque instituti, ad morum integritatem, et sanctitatem eruditi sumus =: ita Catechismus Concilii Tridentini parte 3. de quarto Decalogi praecepto Cap. 5.

§. XC.

Nunquam sane fiet, ut parentes *in toto corde* honorentur juxta divinum praeceptum (1), dilectione sublata. *Amor* igitur primum est

(1) Ecclesiastici Cap. 7. v. 28.

officium iisdem rependendum. Ad hunc vehementer nos excitant, ejusque normam exhibent Ecclesiastici verba, quae habentur Cap. 7. v. 30. *Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses: retribue illis, quomodo et illi tibi.* Unde sic inferimus: Regula, qua diligendi sunt parentes haec est; ut ea ratione diligantur, qua et ipsi nos dilexere. Atqui parentes speciali amore filios prosequuntur. Ergo non communis, sed peculiaris amor parentibus debetur. Haec interim dilectio haud verax dici poterit, nisi factis manifestetur, per quae parentibus tum praesertim in spiritualibus pro viribus succurratur, tum etiam in temporalibus, cum iis oporteat necessaria vitae praesidia suppeditare. Id plane eruitur ex Apostolo ep. 1. ad Timotheum Cap. 5. v. 8. scribente: *Si quis suorum, maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* Quid; autem, subdit Augustinus tract. 119. in Joannem, *quid tam cuique domesticum, quam parentes filiis, aut parentibus filii?* Pro parentibus itaque orandum: ii pariter monendi, si in errore, si in dubiis versentur: defendendi, si injuste opprimantur: redimendi, si captivi: alendi, si egeni: si infirmi juvandi: hisce tandem vita functis extrema pietatis munera persolvenda (1). Plura

(1) Praeclare ad rem nostram ait D. Ambrosius lib. 8. in Lu-

huic dilectioni adversantur: potissimum autem odium in parentes, gaudium de ipsorum calamitatibus, eorumque mortis desiderium; quae tria profecto pietati filiali e diametro opponuntur, quam ipsamet Lex naturae in humanis cordibus impressit (1).

§. XCI.

Ob eorum praeeminentiam in filios honorandi sunt quoque parentes debita *reverentia*, personarum tamen conditioni, et patriis moribus accomodata.

Hinc 1. Nefas est ipsorum despicere consilia, eosque verbis asperis atque conviciis offendere. Ea propter libro Proverbiorum Cap. 19. v. 26. legitur: *Qui affligit patrem et fugat matrem ignominiosus est et infelix:* item Cap. 3. Ecclesiastici v. 14. *Fili suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius; et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tua.*

cam — O Fili, quantum tibi sumis judicium, si non pascas parentem. Illi dabes quod habes, cui dabes quod es.... Si paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est, non reddidisti obsequia, quibus te illa gestavit, non reddidisti alimenta, quae tribuit tanero piatatis affactu —. Vide sis etiam D. Hieronymum in Caput 15. Mat.

(1) Heic opportune animadvertimus, censura notatam fuisse ab Innocentio XI. sequentem propositionem: — Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas —.

2. Rursus impium est parentes maledictis afficere. In hujusce criminis poenam ait Deus Exodi Cap. 21. v. 17. *Qui maledixerit patri suo vel matri morte moriatur:* et Proverbiorum Cap. 20. v. 2. *Qui maledicit patri suo et matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.*

3. Scelestissimum denique est violentas manus in parentes injicere, uti patet ex Cap. 21 Exodi v. 15. *Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur.*

§. XCII.

Obedientiam postremo requirit honor parentibus referendus. *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuae:* sic liberos adhortatur Proverbiorum auctor Cap. 1. v. 8. *Filii obedite parentibus in Domino, hoc enim justum est:* ita scribit Apostolus ad Ephesios Cap. 6. Quam gravis porro sit hujusce muneris violatio colligitur ex Deuteronomio, ubi Cap. 21. v. 18. et seq. haec jubentur: = Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, et coercitus obedire contempserit; apprehendent eum, et ducent ad seniores civitatis illius, et ad portam judicii, dicentque ad eos: Filius noster protervus et contumax est, monita nostra audire contemnit.... Lapidibus eum o-

bruet populus civitatis, et morietur =. Subesse tenentur autem filii parentibus, tum in iis, quae ad bonos mores pertinent, ac religionis officia, tum in iis, quae domesticam familiae disciplinam respiciunt. Si tamen jusserint parentes quae divinis obstent mandatis, tum profecto nequeunt filii obtemperare juxta illud Petri in Actis Apostolorum Cap. 5. v. 29. *oportet obedire Deo magis, quam hominibus.* Quocirca apposite D. Hieronymus Ep. 1. ad Heliodorum inquit: *Scriptura quidem praecipit parentibus obsequendum; sed quicumque eos supra Christum amat perdit animam suam* (1).

Haec officia amoris, reverentiae, obedientiae, de quibus hactenus disseruimus, non modo parentibus tribuenda fore, sed iis etiam, qui eorum vicibus funguntur, Sacrae Theologiae scriptores pluribus demonstrant. Non tantum igitur patrem ac matrem, sed avum, proavum, ceterosque ascendentes; imo etiam praeceptores, dominos, praepositos, tutores, et magistratus quartum Decalogi praeceptum parentum nomine complectitur.

(1) Consulatur Angelicus Doct. quodlibeto 2. Quaest. 5. art. 9.

ARTICULUS QUINTUS

De V. Decalogi praecepto.

§. XCIII.

Injusta quaelibet hominis caedes, vel mutilatio per verba *non occides* Divina lege vetatur. Multipliciter hujusce praecepti transgressor quis evadere potest: 1. scilicet *opere*, si actu positivo per se quempiam interimat: 2. *mandato*, si alteri jubeat occisionem: 3. *consilio*, si aliquem ad homicidium provocet, illud suadendo uti necessarium vel conveniens: 4. *receptatione*, si asylum interfectori concedat: 5. *permissione*, si homicidium non impediat, cum posset, ac deberet: 6. *cooperatione*, si homicidae praebeat auxilium: 7. *neglectu* tandem, si praetermittat, vel rite non adhibeat media ad proximi interitum praecavendum opportuna. Quomodocumque vero injustum homicidinm contingat, grave crimen hoc est; idque ex minis luculenter patet, quibus homines a tanto scelere in utroque Testamento deterrentur. Deus enim Geneseos Cap. 9. v. 6. ait: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*. Homicidium praeterea tum ab Apostolo Joanne, tum a D. Paulo (1)

(1) Joan. Cap. 3. v. 15. Apocal. Cap. 21. v. 8. Cap. 22. v. 15; et Ep. ad Galatas Cap. 5. v. 21.

inter flagitia recensetur, quae a coelesti regno excludunt, poenamque merentur aeternam.

§. XCIV.

Quamquam ex dictis injusta hominis occisio divinae legi repugnet, nihilo secius vetitum non est alicui vitam interdum eripere; quando nempe ex circumstantiis fiat, ut homicidium sit justitiae consentaneum. Illud autem in primis licitum erit, si divina auctoritate jubeatur. Quocirca judaei culpandi non erant, si apud eos maleficium (1), idololatria (2), magia (3), divinatio (4), aliaque plura facinora extremo supplicio punirentur, cum leges hujusmodi, quae in Pentateucho referuntur, divinitus forent constitutae. Itidem jus necis in improbos humanae auctoritati, supremo scilicet magistratui competere diffitendum non est, cum bonum commune requirat, ut in ceterorum exemplum nocentes quandoque perimantur. Hoc jure publicam auctoritatem gaudere perspicue satis indicant Scripturae Sacrae; nam de curam societatis gerente Apostolus ita scribit Ep. ad Rom. Cap. 13. v. 4. *Si malum feceris time, non enim sine causa gla-*

(1) Exodi Cap. 22. v. 18. (2) Levitici Cap. 20. v. 2.
(3) Ibidem Cap. 20. v. 6. (4) Ibidem Cap. 20. v. 27.

dium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. Attamen cavendum, ne jus necandi quemquam, utcumque scelestissimum, privatae hominum auctoritati referatur; delictorum siquidem vindicta ad eos dumtaxat pertinet, quibus regimen, ac tutamen societatis demandatum est (1).

§. XCV.

Casus tantum excipitur, quo necessitas urgeat propriae vitae ab injusto aggressore tuendae: privata siquidem auctoritate alterum occidens a culpa tum quisque excusatur, modo tamen debitum moderamen in ipsa sui defensione non excedat. Quod ut apprime servetur tria potissimum desiderantur.

Ac 1. summa cautio adhibenda est, ne magis fiat, quam opus sit ad mortis discrimen vitandum. Unde, qui propriae securitati per fugam consulere potest, non excusatur, si feriat: qui solum vulnerando se se defendere valet, in Decalogum peccat occidendo.

2. In aggressione injusta repellenda, qui se defendit suimet conservationem unice

(1) Locum hic habet celebris D. Augustini sententia — Qui sine publica ulla administratione maleficum occiderit velut homicida judicabitur —: Lib. 2. de Civit. Dei.

intendat, nec odio moveatur, nec amore vindictae.

3. Nemo aggressionem feriendo vel occidendo praeveniat: nam qui prior hostem invadit, alienae vitae aggressor est, non propriae defensor.

Haec porro doctrina, quam praefatis sub conditionibus tradidimus, quaeque, si paucissimi demantur veteres scriptores, communi Theologorum gaudet suffragio (1), sequenti ratione firmatur. Illud profecto licitum censendum est, quod leges omnes, omniaque jura permittunt. Sed vim vi repellere, etiam cum caede, si opus fuerit, injusti aggressoris, nulla lege, nulloque jure prohibetur. Id enim lex naturalis non vetat; cum ordo charitatis generatim exquirat, ut propriae vitae custodia alterius vitae praeferatur: id non interdicit lex divina, qua Exodi Cap. 22. v. 2. decernitur, sanguinis reum

(1) Mortem injusto vitae aggressori, adhibito etiam moderamine, auferri posse negarunt Acursius, Ricardus a S. Victore, aliique a Norisio citati in vindiciis Augustinianis. Eorum opinio nonnullis fulcitur SS. Patrum auctoritatibus, levibusque rationum momentis: quae cuncta resoluta videri poterunt apud Tournelii continuatorem Theol. mor. tom. 3. tract. de Decal. Cap. 2. de 5. Dec. praec. Sect. 2. punct. 1. Ceterum, sententiam quam superius communem asseruimus, tradunt D. Cyrillus lib. 1. in Joan. Cap. 35; Ambrosius lib. 1. de offic. Cap. 36; et Augustinus Ep. 153. Hanc unanimi consensu amplectuntur rerum moralium Scriptores, ac praesertim D. Thomas 2. 2. Quaest. 64. art. 7., S. Antoninus p. 2. tit. 7. Cap. 8; et D. Bonaventura serm. 6. de decem praeceptis.

non fore qui nocturno tempore furem occidit: neque id reprobant leges Ecclesiasticae, quemadmodum constat ex Innocentio III. Cap. 2. de homicid. volunt; ex Alexandro III. Cap. 3. de Sent. Excom; et Concilio Viennensi Clement. unic. de homicidio: tandem nec obstant leges civiles quae in tales homicidas nullis poenis animadvertunt. Ergo cum dispendio quoque vitae injusti aggressoris licet privata auctoritate vim vi repellere, servato semper moderamine, quod vulgo dicitur *inculpatae tutelae.*

§. XCVI.

De homicidio disserentes plura Theologi explananda suscipiunt, quorum graviora saltem heic gradatim enodabimus. Prae primis autem de *suicidio* verba instituamus: quod horrendum facinus tum antiquis, tum posterioribus temporibus non paucos habuit propugnatores (1). Ut a *suicidio indirecto*

(1) Quoniam ab Orientalibus, ab Aegyptiis praesertim dogmata religiosa, philosophica, politica, moralia mutuatae fueraut graecorum sectae, jam exploratum est, cur Pythagorici, Academici et Stoici doctrinam de *suicidii* honestate suaderent; cur hoc delirium Cynicis quoque placuerit, Epicureis, Cyrenaicis, et Pyrrhonistis. Eorum namque systhemata, sive animam mundanam ubique transfusam, sive metempsychosim, sive animorum mortalitatem admitterent; omnia vel per se, vel indirecte ad *suicidium* ducebant. Ethnicorum errorem Circumcelliones renovarunt, seu circuitores, de quibus videri poterit D. Augustinus lib. de haeresibus Cap. 69. Inter recentiores vero

exordiamur, quo nomine actus intelligitur, qui per se mortem non affert, sed certo vel probabili discrimini vitam committit, dicimus, nulla urgente necessitate, vel non extante maximi momenti causa, nemini fas esse extremo se se tradere periculo, cum vitae custodiam cuique lex naturae praecipiat. Contra, si ad praeceptum superioris ordinis implendum, si pro virtutis praestantis exercitio, pro patriis legibus, pro bono communi, reique publicae incolumitate, pro Religione potissimum quis vitam exponat, tum non modo licitum erit *suicidium indirectum;* verum etiam quandoque necessarium, atque inter praeclaros virtutis actus recensendum.

Sin porro *suicidium* proprie dictum spectemus, illud nempe, quo quis *directe* sibi mortem consciscit; hoc haud unquam excusari manifestum est, cum quinto Decalogi praecepto adversetur. Si enim, inquit Augustinus lib. 1. de civit. Dei, *si non licet privata auctoritate hominem occidere vel nocentem, profecto etiam qui seipsum occidit*

pseudo-philosophi plures, athei nempe, materialistae, deistae, ac fatalistae *suicidium* commendarunt. Ex hisce prae ceteris desipuere Joannes Robeck, cujus exercitatio de morte voluntaria primum edita fuit an. 1736., Deslandes in observationibus quoad claros viros qui ludendo obiere, et Montesquieu in epistolis persicis ferventissimus omnium *suicidii* patronus.

homicida est (1). Veritas roboratur ex iis, quae tradit Angelicus Doctor 2. 2. Quaest. 64. art. 5., cujus innixi principiis tria animadvertimus:

Animad. 1. Quisque ex lege naturae seipsum diligere, ac pro viribus custodire tenetur. Sed qui manus in se violentas convertit in utroque peccat. Ergo *suicidium directum* legi naturali repugnat.

Animad. 2. Vita maximum donum est divinitus quidem concessum, sed illius dominationi subjectum, *qui vitae et mortis habet potestatem* (2). Juri autem naturali apprime consentaneum est, Creatoris dona non parvipendere, ejusque supremum non invadere dominium. Ergo qui vitam sibi arripit legi obsistit naturali, quia peccat in Deum,

(1) Praeter Hipponensem audiamus et Lactantium Divin. Instit. lib. 3. de falsa philosophorum sapientia Cap. 18. dicentem: — Si homicida nefarius est, quia hominis extinctor est, eidem sceleri obstrictus est qui se necat, quia hominem necat. Imo vero majus esse hoc facinus existimandum est, cujus ultio Deo soli subjacet. Nam sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, ejusdem jussu recedendum est, qui nos in hoc corpore induxit —. Adeo grave semper habitum est hoc crimen in Ecclesia Christi, ut jam a saec. 6. quisque suicida communi fidelium suffragio, et sepultura ecclesiastica privetur. Vide Concil. Bracarense 2. Capit. 16. apud Labbeum Collect. Concil. T. 9. pag. 779., cujus verba referuntur quoque in 2. parte decr. Grat. Cap. placuit 12. causa 23.

(2) Sapientiae Cap. 16. v. 13.

sicuti qui alienum servum interficit peccat in dominum cui servus subjicitur.

Animad. 3. Postremo cum ad statum socialem homines naturae lege ordinentur, quisquis partem corporis moralis constituit, quod societas appellatur. Sed quaelibet pars id quod est, totius est. Homo igitur per *suicidium* societatem privat aliqua sui parte, eidemque sic irrogans injuriam justitiam laedit simul ac legem naturalem.

Hisce positis juxta mentem D. Thomae, sic paucis concluditur demonstratio. Cum per *suicidium directum* homo in semetipsum delinquat, in Deum, in societatem, triplici ratione legem naturalem infringit. Sed legis naturalis violatio culpam non evadit ex (§. VIII. N. 4.). *Suicidium ergo directum* a culpa defendi non potest (1).

Sed plura in veritatem hactenus firmatam congerere satagunt increduli: quae ut aliqua methodo per summa capita exponantur, sic instruamus adversariorum argumentum.

Illud a viro philosopho rejicendum non est, quod duplici et auctoritatis et rationis gaudet suffragio. Atqui suimet occisio au-

(1) Haec, aliaque plura in hac re tum apud Bergierium reperiri poterunt tract. histor. et dogmat. De vera Religione tom. 4. Cap. 10. art. 1. tum in libello, quem sub ficto nomine Agatopisti Cromaziani P. Appianus Bonafede inscripsit — Istoria critica del suicidio ragionato.

ctoritate simul et ratione suadetur. Non ergo improbanda. Minor propositio quoad primam partem ostenditur.

Si consulantur Scripturae Sacrae, quarum oracula tam reverenter excipiunt Divinae Revelationis propugnatores, cuique perspicuum est, in iisdem qui propria occubuere manu summopere commendari. Ibidem celebratur Samson, quia *apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera, et alteram laeva tenens, ait: moriatur anima mea cum Philistiim*; *concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, et ceteram multitudinem, quae ibi erat* (1). Ibidem extollitur Eleazari strenuitas, qui *dedit se, ut liberaret populum suum, et acquireret sibi nomen aeternum* (2). Ibidem laudes Raziae tribuuntur, qui *eligens nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus*, gladio se petiit, dissectoque sibi latere, super turbas utrisque manibus viscera conjecit (3). Auctoritas accedat Ecclesiae, quae in martyrum albo connumerare non dubitavit Berenicem, Prosdocem, Pelagiam, Sophroniam, aliasque virgines, quas ad fidem, ad castimoniam servandam sibi mortem contulisse referunt historici

(1) Judicum Cap. 16. v. 30., et seq. (2) Lib. 1. Machabaeorum Cap. 6. v. 44. (3) Lib. 2. Machabaeorum Cap. 14. v. 42.

et Patres (1). Duplex igitur tum Divinarum Literarum, tum Ecclesiae Catholicae auctoritas honestatem suicidii declarat (2).

Alteram minoris propositionis partem sequentes rationes defendunt.

1. Qui properantem sibi mortem peccare censet, inscitiam aeque ac jactantiam ostendit, cum arbitretur, corpus humanum utpote aestimabile conservationem mereri. Verum ab hac vulgari opinione immunis est philosophus, qui de rebus in pondere ac mensura judicare solet. Is enim in hac corporis compage quid cernit? Objectum adeo vile, ut illud parum referat destruere vel custodire.

2. Homo seipsum interimens quid tandem praestat? Varias in materia inducit modificationes. Ex hoc autem nil magis ordo naturae perturbatur, quam si rotundum fiat

(1) Quoad historicos consulatur Eusebius de vita Constantini, et lib. 8. Hist. Eccles. Cap. 12. et 14. Quoad Patres testimonium proferre sufficiat Chrysostomi in S. Berenicem et S. Pelagiam, Ambrosii lib. 3. de Virgin., et Augustini de civit. D. lib. 1. Cap. 26.

(2) Quaedam heic adjici possent loca SS. Patrum Justini praesertim Cypriani, ac Hieronymi, queis abutitur Barbeyracus in — preface au droit de la nature, e des gens —, ut tantos viros criminetur, quasi docuerint suicidium. Hujusce tamen pseudophilosophi adeo ineptae sunt cavillationes, ut eas non immerito praetermittamus. Tam putidam Barbeyraci calumniam oppugnavit Clar. P. Ceillierius lib. cui titulus — Apologie de la morale des Peres de l'Eglise —.

vel quadratum quod antea diversa forma gaudebat.

3. Cum quisque ad felicitatem conditus sit, cuncta obstacula removere licite potest, quae statum hunc optatissimum impediunt. Quemadmodum ergo febris, aliique morbi depellendi sunt ad tantum finem assequendum, item et vita tollenda si felicitati adversetur.

4. Res clarius adhuc per dilemma concluditur. Aut anima immortalis est, aut cum corpore fingitur peritura. In prima hypothesi optimum erit eam a terrenis vinculis dissolvere, ne captiva inter mundanas calamitates detineatur: in altera vero si quis e vita pro lubitu migrare velit, nullum inde sequitur animae detrimentum.

5. Vita donum est creatoris ab homine quidem servandum usquequo pariat utilitatem: nocuum si fiat, cur illud reddi non poterit Supremo Largitori? Id si non liceret, Deus vellet creaturas rationales innumeris prope malis absque remedio jactari; quod certe infinitae Ipsius bonitati repugnat.

6. Demum, etiamsi juxta plures mors voluntaria generatim non admittatur, extremi tamen ac difficillimi excipiendi sunt casus, in quibus haec et probanda et consulenda videtur. Profecto cum publica salus periclitetur, cum vitae exitus probrosus vel cru-

delis immineat, cum virtus in discrimine versetur aut Religio; tum ad haec mala avertenda nonne mortem oppetere honestum erit, ac rationi conforme (1)?

En duplex auctoritatis et rationis fundamentum, super quo adstruitur monstruosa de honestate mortis voluntariae doctrina: quod ut penitus evertatur, singulas, quae nobis adversantur, difficultates ilicet aggredimur.

Minorem itaque propositionem quoad primam partem negamus, ac poscimus, ubinam e Scripturis Sacris eruatur voluntariae mortis honestas? Non quidem e Judicum historia cum ibi compertum sit per coelestem inspirationem, non auctoritate propria Samsonem egisse. Hac ratione eum prorsus excusat D. Augustinus lib. 1. de civitate Dei Cap. 21. dicens: = Nec Samson aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit; nisi quia latenter Spiritus hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat =: quae verba cum sacro textu consonant omnino; eodem namque Cap. Judicum v. 28. legimus: = at ille invocato Domino, ait: Domine Deus memento mei, et redde

(1) Suicidium peculiaribus hisce in circumstantiis culpa vacare contendunt uterque Coccejus Comment. in Hug. Grot. de jure belli et pacis, Puffendorfius de jure naturali et Gentium lib. 2. et 4; nec non Maupertuisius in specimine morali Cap. 5.

mihi salutem pristinam = (1). Nec magis nos movet Eleazari exemplum, cujus fortitudo maximis praeconiis 1. Machabaeorum effertur. Hic enim, cum in Antiochum Eupatorem dimicaret, *cucurrit..... audacter in medio legionis interficiens a dextris et a sinistris, et ivit sub pedes elephantis,* supra quem arbitrabatur adesse regem, *et supposuit se ei, et occidit eum, et cecidit in terram super ipsum et mortuus est.* Eleazar igitur sui peremptor non fuit: merito autem commendatur, quia in bello justo vitam pro religione, pro patria discrimini objicere non dubitavit (2). Nemini tandem sui necem suadent quae 2. Machabaeorum libro de Razia perhibentur. Prae magnitudine animi laudatur equidem eximius hic Assidaeus. At quibus ex causis? *Quia fuit amator civitatis... quia continentiam in judaismo servavit... quia pater judaeorum appellabatur* (3).

(1) In eorum commentariis animadvertunt Serarius et Tostatus, Samsonem, seclusa quoque inspiratione, a crimine defendi posse, cum in se manus violentas ille non converterit, sed tantum certo periculo vitam tradiderit pro populi salute personam agens judicis ac liberatoris Israel. *Indirecte* autem mortem sic obire gravi ac justa de causa, et licitum et laudabile fore, jam vidimus superius. Consulatur Natalis ab Alex. t. 2. hist. Eccl. V. T. in 4. Mundi aet. diss. 20., et Aug. Calmet in Comment. ad lib. Judicum.

(2) De Eleazaro vide potissimum D. Ambrosium lib. 2. de Offic. Cap. 40.

(3) Ita D. Augustinus lib. 1. contra Gaudentium donatistam Cap. 31. N. 37.

Factum vero, quo sibi mortem conscivit minime probatum legimus (1): nam, uti adnotat D. Augustinus ep. 204; ibi dicitur, eum obiisse *nobiliter ac viriliter, non tamen fideliter ac salubriter* (2). Unde cum eodem concludimus lib. 1. contra Gaudentium cap. 31. hisce verbis: Raziae *mortem mirabiliorem, quam prudentiorem narravit quemadmodum facta esset, non tamquam facienda esset Scriptura laudavit.* At si nullum tutamen e Sacris Libris mors voluntaria nanciscitur; huic profecto neque favet auctoritas Ecclesiae. Quam auctoritatem cum sibimet opponat jam saepe citatus Augustinus lib. 1. de civit. D. cap. 26., difficultatem sic diserte resolvit. = Sed quaedam sanctae feminae tempore persecutionis, ut insectatores suae pudicitiae devitarent, in rapturum

(1) Tirino aliisque paucis superuae motioni tribuere placuit faciuus Raziae: verum e Sacro Textu haec motio non adeo facile ac tuto ostendi posse videtur. Quare cum Calmeto, Estio, ceterisque pluribus interpretibus, imo cum Hipponensi Doctore huno senem mortem sibimet iufereutem arguendum fore censemus; etenim -- humilitatem inter manus iuimicorum nou valens ferre, non plane sapientiae, sed insipientiae dedit exemplum, non Christi martyribus, sed Donati circumcellionibus imitandum --: ibidem in Gaudeutium N. 36.

(2) Magis adhuc rem explicat citat. Doctor eod. lib. N. 37; ubi ait: -- dictum est, quod elegerit nobiliter mori: melius velles humiliter, sic enim utiliter. Illis autem verbis historia geutium laudare cousuevit, sed viros fortes hujus saeculi, uon martyres Christi. Dictum est, quod se viriliter de muro praecipitavit iu turbas: nec nos dicimus, eum hoc fecisse muliebriter --.

atque necaturum se fluvium projecerunt; eoque modo defunctae sunt, earumque martyria in Catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentantur. De his nihil temere audeo judicare. Utrum enim Ecclesiae aliquibus fide dignis testificationibus, ut earum memoriam sic honoret, divina persuaserit auctoritas, nescio: et fieri potest, ut ita sit. Quid si enim hoc fecerunt, non humanitus deceptae, sed divinitus jussae; nec errantes, sed obedientes?.... Cum autem Deus jubet, seque jubere sine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? quis obsequium pietatis accuset? = Mulieres ergo, quarum sanctitatem veneratur Ecclesia, cum divino tantum impulsu, non sua sponte, ad criminis periculum evadendum sibi mortem properarint; exinde haud unquam inferri poterit, Ecclesiam probasse suicidium *directum* humana patratum auctoritate.

Partem alteram minoris propositionis item reprobamus, eique pro variis, quibus fulcitur momentis rationum, sic paucis occurrimus.

Ad 1. Quamquam non diffiteamur, pro nihilo habendum esse corpus humanum, si rerum universitati, si animae, si Deo potissimum comparetur; absque dubio tamen asserimus perfectionem quamdam sibi peculiarem et corpori convenire, cum affabre compactum hoc fuerit ab Ente Sapientissimo,

cujus *perfecta sunt opera*. Verum ad rei controversiam non attinet de abjectione disceptare corporis, vel praestantia. Id unum inquiritur, an sit in hominis potestate animi cum corpore nexus? Probent autem, si valeant, voluntariae mortis propugnatores, hoc jus absolutum certo nobis competere, et palmam habebunt. Ceterum non ab ignorantia non a praesumptione exoritur persuasio de hujusce facinoris pravitate, sed a recta ratione, sed ab intimo sensu, quibus evincimur, cuique legem naturalem vitae conservationem praecipere.

Ad 2. Quidquid legi naturali opponitur moralem naturae ordinem perturbat. Sed actus, quo quis se interimit, ex superius traditis, legi naturali adversatur. Desipit ergo Montesquieu, cum in epistolis jam citatis nullam in hoc scelere agnoscat ordinis naturae perturbationem: desipit, cum doceat nil aliud fieri per suicidium, quam simplicem materiae modificationem. Profecto, si nexum hujusce vitae dissolvere idem est ac materiae formam immutare, concludi poterit ex adversarii principio, non modo seipsum, sed et alios homines universim necare indifferens prorsus esse, quemadmodum indifferens est ligno vel lapidi formam cubicam vel orbiculatam conferre. Quod consectarium quam absurdum sit, quam impium,

quam exitiale, nemo est qui non videat.

Ad 3. Agitur hic de vera felicitate, ad quam nequit homo pervenire nisi per media honesta, ac rationali naturae consentanea. At suimet occisio ex demonstratis legi naturali repugnat; ideo nec honesta esse potest, neque rationali conveniens naturae. Haec igitur in systhemate verae felicitatis locum haud unquam habebit. Risu porro excipienda est allata morborum comparatio. Nemo enim tam bardus est, quin agnoscat, infirmitates idcirco removendas fore, quia lex naturae praecipit vitae custodiam. At per voluntariam sui necem vita non custoditur, sed tollitur. Concidit ergo paritatis argumentum.

Ad 4. Etsi nefarium epicureismi dogma de animorum mortalitate poneretur; nemo est profecto, qui bonum vitae etiam inter aerumnas identidem non experiatur, nemo tam miser, quem secundae sortis adventurae spes aliqua non soletur. Unde vix reperiri poterit qui, quamvis maxime infelix, melius non existimet quomodocumque existere, quam nihil esse. Verum immortalis est animus humanus, quia spiritualis. Cum ergo criminosa sit ex probatis voluntaria sui caedes, quid proderit hujusce vitae mala devitare, si gravioribus, aeternisque poenis in sceleris vindictam qui se peremit afficiatur?

Ad 5. Cum vita, qua fruimur, gravis fiat ac molesta, hanc reddi posse Creatori non diffitemur, si donum simpliciter foret: quoniam vero non tam donum, quam depositum nobis divinitus commissum ea est; quis hujusce depositi arbiter, nisi solus Deus? Fucum autem imperitis facere conatur Montesquieu, dum asserit divinam bonitatem sartam, tectam non esse in hypothesi, qua Deus vetet, ne per mortem se se homines eripiant a malis, quibus in hoc mundo torquentur. Cur namque vult Deus, haec mala perpeti mortales? Non quidem ut absque remedio ipsi vexentur, quemadmodum absurde concludit philosophus argutator, sed ut per tolerantiam hujusmodi malorum bonum ordinis superioris in creaturis rationalibus exoriatur. Quin ergo labefactentur, eo vel maxime effulgent divinae Providentiae ac Bonitatis attributa: hoc siquidem tantum bonum virtus est; hoc sempiterna retributio, quae praemium laborum erit, virtutis corona.

Ad 6. Qualescumque sint circumstantiae peculiares, extremique casus, de quibus controversia movetur, dicimus, eos omnes circa duo malorum genera versari posse, quae vel *physica* vel *moralia* appellantur. In primis, quod cuique liberum sit mala physica evadere per media sive honesta, sive indiffe-

rentia, non inficiamur: at per medium culpabile, quale est immanis peremptio sui, prorsum penitusque negamus. Ineluctabile profecto est illud generale principium = non sunt facienda mala, ut veniant bona =: ergo ad malum physicum avertendum, malum culpae nefas est perpetrare. Sed procedamus ad aliud genus malorum, quae moralia nuncupavimus. Nonne, seclusa nece voluntaria sui, cetera praesto sunt media, quibus occurrere hisce malis valeamus? Malum quodlibet morale est animi defectus, qui nonnisi a libera hominis voluntate proficiscitur. Illud ergo pro arbitratu quisque poterit declinare, quin ad mortem spontaneam confugiat. Demum, quid magis rationi repugnans, quam ad crimen vitandum aliud crimen forte deterius admittere? (1). Quae cum ita sint, manifesto apparet, nullis in circumstantiis, quantumvis difficillimis, rationes reperiri posse, queis hoc flagitium excusetur.

(1) Hoc eodem argumento utitur D. Augustinus lib. 1. de civit. Dei ita diserte scribens Cap. 25: -- Verumtamen si detestabile facinus, et damnabile scelus est, etiam se ipsum hominem occidere, sicut veritas manifesta proclamat; quis ita desipiat, ut dicat: jam nunc peccemus, ne postea forte peccemus; jam nunc perpetremus homicidium, ne forte postea incidamus in adulterium? Nonne si tantum dominatur iniquitas, ut non innocentia sed potius peccata eligantur, satius est incertum de futuro adulterium, quam certum de praesenti homicidium? — Consimilia habentur scitissime tradita ibidem Cap. 27.

Cum itaque minor propositio quoad utramque partem corruat ex dictis; necessario cadit et consequens, ubi temere *suicidii directi* concludebatur honestas (1).

§. XCVII.

Ad bellum age progrediamur, inquirentes, num quinto Decalogi praecepto illud opponatur? Nil aliud belli voce significatur, quam *publica armorum adversus extraneos ad rempublicam tuendam, aut vindicandam assumptio.* Hoc autem praecepto *non occides* minime adversari, luculenter e Sacris Libris compertum habemus. Noscimus quippe in Lege veteri nusquam interdictum fuisse bellum; imo plurima ibidem referri praelia divina auctoritate commissa. Neminem certe latet, Abraham, Moisem, Josue, Gedeon,

(1) Ex hisce inferimus, irridendos esse qui mortem voluntariam non modo defendunt, verum etiam ut heroicum fortitudinis actum perlaudant. Fortitudo virtus est, de qua proprio loco disputabimus: crimen sui occisio ex probatis. Porro virtutem et crimen unum idemque fore quis sibi suadebit? Sed ut accuratius rem inspiciamus, cur, petimus, cur quis se interficit? Quia nequit pauperiem, vel dedecus, vel taedium vitae, vel duros perferre labores. Non ergo fortitudini, quae in hisce aequo animo sustinendis maxime sita est, sed ignaviae potius tribuenda mors voluntaria. Plurima huic loco opportuna videri poterunt apud Augustinum tum lib. 1. de civit. Dei Cap. 22. et 23; tum lib. 19. ubi S. Doctor Cap. 4. hac ratione disserit de romanae sapientiae principe, Catone: -- non patientia sed potius impatientia se peremit: non enim hoc fecisset, nisi victoriam Caesaris impatienter tulisset. Ubinam est fortitudo? Nempe cessit: nempe succubuit --.

David, aliosque sive judices sive reges populi Israel cum hostibus pie, sancteque conflixisse (1). In id lex quoque nova consentit, uti liquet ex verbis Joannis, quae in Evang. Lucae Cap. 3. v. 14. traduntur. Hanc dominici Praecursoris auctoritatem explicans D. Augustinus ep. 138. ad Marcellinum inquit: = Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, seque omnino militiae subtraherent. Dictum est autem eis: *neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum.* Quibus proprium stipendium sufficere debere praecepit, militare utique non prohibuit =. Alterum pro veritate firmanda ex eo facile deducitur argumentum, quod si bellum absolute non liceret, illud sane et Ecclesiae Patres, et Concilia et Romani Pontifices etiam atque etiam Christianis vetuissent. Ast ubinam legimus, id semel saltem contigisse (2)? Ratio tandem naturalis accedit,

(1) Vide Geneseos Cap. 14; Exodi Cap. 17. Josue Cap. 6. 7. 10. 12; Judicum Cap. 7; et 2. Regum Cap. 8. 18. 21.

(2) Nobis equidem non latet, jam a saeculo 4. poenitentiae decem annorum Concilium Nicaenum Can. 11. eos subjici decrevisse, qui militiae nomen darent: scimus Tertullianum lib. de corona militis Cap. 10., Ambrosium in Cap. 22. Lucae, et Leonem M. Ep. 82. in eosdem calamum acuisse. Nil tamen contra nos. De qua enim militia tum agebatur? De ea tantum, in

qua sic brevi concludimus. Fas est cuique privato injuriam, congruo servato moderamine, propulsare (XCV.). Potiori ergo jure id licebit publicae auctoritati aut vim vi repellendo, aut bellum nocentibns denuntiando.

Veruntamen ad hoc ut bellum honeste geratur sequentes requiruntur conditiones.

Conditio 1. Bellum indici debet publica dumtaxat auctoritate. Hoc siquidem est actus justitiae vindicativae: publicam vero injuriam vindicare ad eos unice pertinet, qui societatem regere tenentur.

2. Cum et justitia et caritas jubeant ut belli damna, quoad fieri possit, impediantur; hinc ad illud commovendum justae, hoc est, graves ac necessariae causae concurrant oportet. Hujusmodi causae sunt vel magnum detrimentum, vel summa injuria Imperanti, subditis, aut foederatis irrogata.

3. Quemadmodum ad honestatem cujuslibet actus humani recta intentio potissime desideratur (1); haec item est in bello justo requisita conditio. Non igitur ultionis aestu, non odio, non inordinata ditionis ampliandae cupiditate; sed pro bono communi, sed

qua periculum aderat idololatriae, quia sub ethnicis imperantibus ante certamen inanibus diis sacrum offerre militibus praecipiebatur.

(1) Vide Instit. lib. 1. §. XLIV.

amore justitiae bellum suscipiendum (1).

4. Denique cavendum est, ut in bello debita moderatio servetur. Quocirca, si nondum illud inchoatum fuerit, pars laedens monenda est, ut, si velit, pro injuria vel damno illato satisfaciat priusquam ad arma deveniatur. Bello autem incoepto, duces ac milites veluti legitimae vindictae ministri obsistentem hostem ad internecionem usque caedere possunt; dummodo crudelitatem devitare studeant; dummodo praesertim innocentibus pareant, pueris nimirum, senibus, mulieribus, uno verbo iis omnibus qui arma nec gestare valent, nec gestant, nisi tamen in bello partem habeant et ipsi directam. Re tandem confecta sit clemens victor erga subjectos in pacis conditionibus decernendis, easque semel constitutas religiose custodiat (2).

§. XCVIII.

De quodam genere pugnae hic disputandum occurrit, quod *singulare certamen*, seu *duellum*, graece *monomachia* nuncupatur.

(1) Nobiscum plane convenit Augustinus lib. 22. cont ra Faustum haec scribens Cap. 74. — Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, et si qua similia, haec sunt quae in bellis jure culpantur —.

(2) Consulatur D. Antoninus Sum. Theol. 3. part. tit. 4. de militibus.

Ut ab ejus ordiamur definitione, monomachiam, sive duellum proprie dictum appellamus *pugnam inter duo vel plures ex condicto initam, statuto loco ac tempore conflictus cum mortis vel mutilationis periculo* (1). Singulare certamen publica indici potest auctoritate, tum etiam ob causam communem adversus patrios hostes: concursus David cum Goliath, Cyri cum Assyrio rege, Wenceslai Bohemiae regis cum Radislao duce Curimense inter celebriora hujusce generis certamina commemorantur. Si ob commune bonum, uti diximus, atque Suprema auctoritate duellum proponatur, ejus honestatem praeter Grotium et Puffendorfium

(1) Si antiquos excultarum gentinm, qnae vel bellicis coronis, vel scientiarum laude claruere, mores perquiramus, si Romanorum, Graecorumque, si Aegyptiorum, Sinensium, Phoeniciorum historias pervolvamus, eos omnes crudele monomachiae studium abhorruisse comperiemus, cum non in cives, sed in hostes reipublicae vel imperii gladium distringere, id nnum strenuitatis opus censerent. Nullibi igitur hujusmodi certaminum praeterqusm penes barbaras nationes, septemtrionales praesertim, invenientur exempla. Longobardi siquidem, Germsni, Galli, Celtae, Cymbri, quin per aequitatis leges dissidia componerent, ea per plura saecula gladio decernere consuevere. Exitialis hujusce moris causae plnres ac variae agnoscuntur: independentia videlicet ac sylvestris eorumdem populorum libertas: honoris male concepti species: superstitio ignorantiae colligata, per quam duelli exitus habebatur ceu divinitatis testimonium vel pro jure tuendo, vel pro innocentia comprobanda. Haec, quae de monomachiae origine vix attigimus, fusius tradita legi poterunt apud Gerdilium tom. 8. op. edit. rom. .– Traitè des combats singuliers.

catholici quoque scriptores unanimi consensu fatentur. Ad hoc tamen opus est, ut pugna conseratur nec ad cruentum spectaculum praebendum, nec ad inanem virium ostensionem: opus insuper est, ut Supremus Imperans ex uno capite certus sit de suae causae justitia, ex altero non modo incertus haereat circa exitum belli, sed illud probabiliter saltem exitiosum praenoscat: tum quippe singulare praelium eligere fas erit, ut totius exercitus impediatur caedes, subditorumque incolumitati prospiciatur.

Verum ob causam privatam sive publica sive privata auctoritate fieri ne potest singulare certamen? Ad ambages praecavendas adnotamus in antecessu, duellum *solemne* dici, si praemittatur formalis per schedas provocatio, si testes et arbitri assumantur, si solemnitates observentur ex consuetudine inductae quoad armorum, temporis et loci privilegio securitatis praediti designationem. Si vero, ceteris praetermissis, tantummodo conveniant ex condicto partes adversae de loco et tempore conflictus, *privatum* duellum vocabitur, *simplex et clandestinum*. Porro vel *solemne* hoc fuerit vel *mere privatum*, a gravi noxa haud excusari unquam poterit, cum legi naturali, Evangelicae, et Ecclesiasticae obsistat. Adversus efferatum hunc morem lex naturae clamat prae primis *cuique*

jus suum tribui praecipiens. Jus quippe alienum invadit monomachia, per quam in statu civili sibi arrogat privatus quod supremae potestatis proprium est, facultatem scilicet puniendae culpae, quae, si qua sit, non a privata persona, sed a magistratu plectenda est. Clamat secundo lex Divina Evangelica, quae 5. Decalogi praecepto injustum vetat homicidium, quaeque Matthaei cap. 5. inimicorum dilectionem injungit. Clamant postremo Ecclesiasticae leges, atque in eos, qui tanto scelere maculantur pluribus, gravibusque poenis animadvertunt. Amplissimum hac de re testimonium habemus, tum ex pluribus Romanorum Pontificum constitutionibus (1), tum ex Conciliorum Lateranensium III. et IV. decretis (2), quibus innumerae Synodorum Provincialium accedunt sanctiones. Quae cuncta in monomachiam diversis temporibus Ecclesiae auctoritate constituta in unum jungere visi sunt Tridentini Patres sessione 25. de reformat. cap. 19. dicentes: = Detestabilis duel-

(1) Horrendum hoc facinus persecuti sunt Julius II. et III. Leo X., Clemens VII. et VIII. Pius IV. et Gregorius XIII; quorum constitutiones passim in Bullario Rom. reperiuntur insertae. Prae ceteris consuli poterit celebris Const., quae incip. *detestabilem* vulgata a Benèdicto XIV. tom. 4. ejusdem Bullarii pag. 35. et seq.

(2) Videatur Concil. collect. apud Labbeum tom. 22. pag. 230., et 1006.

lorum usus, fabricante diabolo, introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur....... Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur excommunicationis, ac omnium bonorum proscriptionis poenam incurrant, et ut homicidae juxta sacros Canones puniri debeant; et si in ipso conflictu decesserint perpetuo careant ecclesiastica sepultura = (1).

§. XCIX.

Variae de homicidio adhuc expediendae supersunt controversiae, quae Theologis invicem dimicandi occasionem praebuere. Futilibns praetermissis, haec praecipue explo-

(1) Non desunt sacrarum legum interpretes, qui, nt verbis utamur Benedicti XIV. Const. *detestabilem*, benignitatis specie humanis, pravisque cupiditatibus plus aequo faventes, Apostolicas Sanctiones ad corrupta hominum judicia inflectunt. Hinc mirum non est, Theologos extitisse nonnullos, qui leges poenales in duellum constitutas ad *publicum*, et *solemne*, non vero ad *privatum* referri docuerint; mirum non est, si verba Tridentini (et si in conflictu decesserint), utpote odiosa, ad unicum casum mortis contingentis eodem loco ac tempore, quo pugna committitur, referenda fore autumarint ex regula 15. juris in 6. At hisce tergiversationibus obstitit Apostolica Sedes. Nam Gregorius XIII. Const. *Ad tollendum scandalum*, rejecto inter duellum solemne ac privatum discrimine, primum abstulit effugium: Benedictus vero XIV. super memorata Const. ecclesiasticam sepulturam interdixit obeunti extra locum concertationis ex vulnere in duello recepto, quamvis etiam poenitentiae is dederit signa, quamvis adhuc a peccato simul atque censura fuerit sacramentaliter absolutus.

randa seligimus: num scilicet ad innocentis defensionem; num ad bona temporalia tuenda; num ad pudicitiam vel famam servandam quempiam liceat privata auctoritate enecare? Veritas, ni fallimur, e sequentibus resolutionibus patebit.

Resolutio 1. deducitur a Gabriele Antoine dicente: = ex communi sententia licet vitam proximi ab alio injuste oppugnatam defendere, etiam cum occisione invasoris injusti, si aliter defendi nequeat. Quia sicut possumus tueri vitam propriam cum occisione invasoris injusti, modo explicato; ita et vitam proximi innocentis, qui caritatis nexu nobis conjunctus est, et quem debemus sicut nos ipsos diligere = (1). Quin etiam non modo licite quis poterit, sed tenebitur innocentis quandoque vitam defendere cum morte injusti aggressoris in hypothesi, qua speciale munus id postulet justitiae vel caritatis. Hujusmodi obligatio tum porro viget, cum defensor agat publica auctoritate, si nempe sit magistratus ejusve minister; cum persona, quae ob injustam

(1) Hactenus Antoine Theol. mor. univ. tom. 2. part. 1. tract. de just. et jure part. 3. Cap. 2. Quaest. 11. Resp. 2. In hanc sententiam prae ceteris concurrunt Lessius lib. 1. Cap. 9. N. 87; Salmanticenses de homicidio Cap. 1. N. 94; Continuator Tournelii Theol. mor. tom. 3. tract. de praecept. 2. tab. Decal. Cap. 2. art. 3. sect. 2. punct. 1., et B. Alphonsus de Ligorio Theol. mor. lib. 3. tractat. 4. Cap. 1. dub. 3. N. 389.

aggressionem in vitae discrimine versatur, sit bono publico necessaria: cum tandem defendenda sit vita parentum, filiorum, conjugis, aliorumque consanguineorum vel affinium, queis ob necessitudinem ita devincimur, ut juxta caritatis ordinem peculiarem curam de iis gerere debeamus (1).

Resolutio 2. ob varias dissidentium Theologorum opiniones aliquantisper implicata videtur. In confesso tamen est apud omnes, nunquam homicidium licere, si fiat pro rebus exiguis, quarum privatio nullum vel leve afferat detrimentum; nam ad leve damnum vitandum nefas est malum omnium gravissimum ac irreparabile alteri inferre. Hanc veritatem confirmat auctoritas Innocentii XI; qui sequentem propositionem an. 1679. proscripsit: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.* Item nec bona magni momenti injuste invadentem interficere licet, si per alia media haec defendi possint, vel recuperari: nulla siquidem cogente necessitate, ac debito modera-

(1) Haec concludimus cum Cardin. de Lugo disput. 10. N. 208; et Lessio lib. 2. Cap. 9. N. 92. et 94., qui quamvis praefatos casus excipiant, docent nihilominus contra Salmantic. Navar. et Bonac; tantam obligationem generatim, ac semper non extare, quia nemo tenetur ad actum, qui plurima parit incommoda, inimicitias nempe, odia, periculum gravis detrimenti, aut etiam poenae temporalis subeundae si occisionis patratae satis nequeat justa causa probari.

mine praetermisso tum proximus occideretur, quod penitus quinto Decalogi praecepto adversatur (XCV). Contra, si bona, de quibus disserimus ejusmodi sint, ut iis sublatis, nec vita servari posset; vel etiam si fur non tam res quam vitam simul minaciter armis aggrediatur: nemo sane diffitetur, licitam fore in hisce casibus injusti invadentis occisionem, quia tum agitur de ipsius vitae defensione. At pro bonis magni momenti ad vitam minime necessariis licet ne furem occidere, cum haec aliter nequeant defendi? En totus controversiae nexus, in quo enodando opposita ratione procedunt scriptores. Rerum temporalium direptori vitam eripere iniquum existimant non pauci. Inquiunt enim, jus nemini esse privata auctoritate bonum ordinis longe superioris, et omnino irreparabile proximo auferre ad bonum ordinis inferioris ac reparabile tutandum. Huic sententiae plerique cum D. Antonino adversantur, ac docent, tum tantum ex caritatis praecepto bona proximi altioris ordinis praeferenda fore, cum ille in extrema necessitate versetur: ast ibi nulla profecto necessitas extrema, ubi quis vitam periculo sponte committit. Quod cum eveniat in fure, qui aliena invadere nititur non coactus, sed volens; inferunt exinde, cuique fas esse rerum suarum defensionem suscipere, vim vi

repellere, furemque trasfodere si oporteat. Quin etiam sive pro rebus depositis vel commodatis, sive pro facultatibus amicorum servandis id honeste fieri posse non dubitant. Utraque opinio hinc inde validos propugnatores habet: posteriorem tamen *probabilissimam* et *communem* appellat B. Alphonsus de Ligorio Theolog. moral. lib. 3. tract. 4. de 5. Decalogi praecepto dubio 3. N. 383. (1).

Resolutio 3. bonum respicit vita opibusque praestantius; pudicitiam videlicet, pro qua totis viribus ad internecionem usque in impium aggressorem luctandum. Cum difficilis pugna sit in hoc genere conflictus, et rara victoria, permitti ne poterit stupratoris occisio, cum evadendae violentiae spes nulla supersit? Animadvertunt nonnulli cum Hieronymo (2), et Augustino (3), castitatem in animi voluntate proprie consistere, ideo per

(1) Ex una parte conferantur prae ceteris Fagnanus ad Cap. Interfecisti. De homicidio; Natalis ab Alexandro hist. eccles. vet. Testam. in 4. Mundi aetatem dissert. 2. art. 2. §. 5; Calmet Comm. in Exodi Cap. 22; quibus accedunt Gersonins, Abulensis, Tournelii continuator, et Romanus Censor bibliothecae Lucii Ferrari nota 6. ad verb. homicidium. Consuli poterunt ex altera D. Raymundus lib. 2. De raptu §. 18., D. Antoninus sum. theol. 3. part. tit. 4. Cap. 3. §. 2., Sylvius in 2. 2. Quaest. 64. art. 7. Q. 8., Sotus de just. et jure lib. 5. Quaest. 1. art. 3., Suarez de censuris disput. 45. Sect. 2. N. 10., et Lessius lib. 2. Cap. 9. dubit. 11.

(2) Vide Hieronymum Comment. in Isaiam lib. 15. Cap. 56.

(3) Vide Augustinum lib. 1. de civit. Dei Cap. 18.

vim externam minime labefactari, dummodo qui hanc patitur injuriam viriliter dissentiat: unde sic merito Lucia Virgo et Martyr Paschasium alloquebatur. *Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Cum igitur ad hujusce virtutis nitorem servandum nullo in casu necessaria sit mors aggressoris, concludunt, semper ejus caedem reprobandam fore utpote vetitam praecepto *non occides* (1). Contrariam amplectitur sententiam D. Antoninus in summae theologicae parte 2. tit. 7. cap. 8. §. 2. dicens: = *Mulier* si se defendendo, ne violetur, contingat *stupratorem* occidi; sibi imputetur. Et si dicatur, quod occidendo est causa mortis illius non solum corporis, sed animae; quum in actu voluntatis peccandi moriatur: respondeo quod ipse est sibi causa, qui alteri injuriatur. Illa autem utitur jure suo naturali, quo licet vim vi repellere, et magis tenetur saluti suae providere, quam alterius. Nam exponit se periculo consentiendi actui peccati, permittendo se oppri-

(1) Haec intuens ipsemet Augustinus, in proferendo de re tanti momenti judicio se se veluti implicatum fatetur lib. 1. de libero arbitrio Cap. 5. En illius verba: — De pudicitia vero, quis dubitaverit, quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est? Unde a violento stupratore eripi nec ipsa potest. Quapropter legem quidem non reprehendo, quae tales permittit interfici; sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio — .

mi propter difficultatem renitentiae voluntatis =. Hanc Florentini Archiepiscopi doctrinam plerique Theologorum sectantur, quos citat jam super memoratus Agathensis Antistes ibidem N. 386.

Resolutio 4. a Scripturis Sacris, ab Ecclesia, a recta ratione desumenda est, non a pravis hominum opinionibus, qui quamdam idoli speciem in honore sibi fingunt, eumque, posthabito caritatis ordine, vitae praeferre non verentur. Hisce itaque principiis innixi dicimus, a culpa non excusari, qui ut honorem tueatur vitam eripit injuriam inferenti. Etenim si ex Evangelica lege nefas est reddere *malum pro malo, maledictum pro maledicto* (1), quanto magis iniquum erit contumeliam repellere vel calumniam adversarii sanguinem effundendo? Accedit Ecclesiae Catholicae auctoritas, quae laxiores theologorum opiniones defensae veritati adversantes profligavit (2). Denique

(1) Haec tradit Petrus Apostolus ep. 1. Cap. 3. v. 9. quse verba sio inlustrat in suis Comment. Augustinus Calmet: Ea porro est Christianorum vocatio, nt hilari animo persequantur injurias, ut lenes sint inter iracundos, modesti inter superbos mansueti inter saevos, benedicant iis, a qnibus ipsi injuriis et maledictis petuntur. Neque haeo commentitia est meditatio et descriptio, sed germana primaevornm Christi discipulorum vita; eamque par est in praesenti et nostram esse, cum lex Evangelica mutari nequeat.

(2) En prop. damnata ab Innoc. XI. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec

in id consentit et ratio naturalis, qua sic argumentamur. Nonnisi per virtutum actus honos comparatur: vindicta, crudelitas hominem societati exosum, inhonoratum efficiunt. Ergo qui injuriam sibi irrogantem perimit ut servet honorem, hunc potius amittit. Praeterea si dedecus spectemus, quod e calumnia speciatim consequitur, illud profecto noscimus per adversarii mortem non deleri, sed per media convenientia et honesta, quibus fiat, ut veritas prodeat et calumniator erubescat. Homicidium igitur in hypothesi foret injustum, quia non necessarium, ac sine debito moderamine perpetratum.

ARTICULUS SEXTUS

De VI. et IX. Decalogi praecepto.

§. C.

Quamquam numero et ordine inter se differant sextum et nonum Decalogi mandatum, nihilo tamen secius cum eorum objectum idem omnino sit, de utroque simul, arbitra-

ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat. En altera rejecta damnata ab Alex. VII. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare.

mur, unico tantum articulo aequum fore disserere. Praeceptum, quo moechari vetatur, negativum est, nec modo externa prohibet luxuriae peccata, quae jura fidemque temerant conjugii, sed quemlibet turpem actum generatim, vel cordis affectum virtuti pudicitiae contrarium (1). Ea porro cuncta, quae utpote inhonesta, atque impudica a lege Mosis interdicuntur (2), rursus vehementer, ac saepe exsecratur lex Evangelica. Inquit enim Apostolus: *Ne commisceamini fornicariis* (3): *fugite fornicationem* (4): *fornicatio autem, et omnis immunditia...... nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos* (5): *haec est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione* (6).

§. CI.

Gravem admodum per se fore hujusce praecepti transgressionem patet, si vix consideretur praestans humani generis origo. Hominem ad Dei similitudinem conditum fuisse testantur Scripturae Sacrae (7). Nil

(1) Vide D. Ambrosium lib. 1. offic. Cap. 50; et D. Augustinum Quaest. 71. in Exodum.

(2) Exodi Cap. 20. v. 14. 17. Deuteronomii Cap. 5. v. 18. 21. Cap. 23. v. 17.

(3) Ep. 1. ad Corinthios Cap. 5. v. 9.

(4) Ibid. Cap. 6. v. 18.

(5) Ep. ad Ephesios Cap. 5. v. 3.

(6) Ep. 1. ad Thessalonicenses Cap. 4. v. 3.

(7) Genesis Cap. 1. v. 26. et 27.

ergo magis creaturam dedecet rationalem, quam luxuriae inquinamentis ac coeno divinam hanc imaginem vitiari. Sed amplum hac de re argumentum plura nobis exibent utriusque Testamenti loca ab effectibus deducendum. Primo namque in lege veteri moechi, incestuosi, fornicarii, quique nefaria naturae adversantia crimina admisissent, divino jussu lapidibus obruebantur (1). Neminem quoque latet, Deum haec facinora pluries tremenda plaga fuisse persecutum. Is quippe tempore Noe mortales penitus delevit, quia *omnis caro corruperat viam suam super terram* (2): Sodomam, eique finitimas urbes vorante flamma succensit (3): Israelitas, qui cum filiabus Madian et Moab in Settim commorantes initiati fuerant Beelphegor, trucidari voluit (4): ob unius adulterium integram fere Beniamitarum tribum gladio consumpsit (5). A poenis temporalibus ad sempiternas progrediamur, quas libidinosis Lex nova minatur. *Omnis fornicator*, inquit Doctor gentium, *aut immundus.... non habet haereditatem in regno Christi et Dei* (6).

(1) Levitici Cap. 20. a v. 10. ad 18; Deuteronomii Cap. 22. a v. 20. ad 25.
(2) Genesis integro Cap. 6.
(3) Ibidem Cap. 19. v. 24.
(4) Numerum Cap. 25. v. 4.
(5) Judicum integro Cap. 20.
(6) Ep. ad Ephesios Cap. 5. v. 5.

Manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria.... qui talia agunt regnum Dei non consequentur (1). Item Joannes Apostolus de iisdem haec decernit: *pars illorum erit in stagno ardenti, igne, et sulphure* (2). Quibus positis, conclusionem sic inferimus. E supplicii severitate aequo jure dimetienda est cujusque sceleris magnitudo. Haec igitur noxa maxime enormis dicenda erit, cum, Deo jubente, in antiquo foedere caede peccantium ea plecteretur, cumque aeternis cruciatibus puniatur, quemadmodum ex Evangelica lege luculenter ostenditur.

§. CII.

Quatenus affirmativum est praeceptum, de quo heic sermonem habemus, castitatem jubet, quae carnis refraenat concupiscentiam, ne adversus rectam rationem ad sensuum voluptates homo pertrahatur, quaeque pro triplici statu virginitatis, conjugii, aut viduitatis unicuique necessario servanda est (3). Et quoniam thesaurum hujusmodi in vasis fictilibus situm esse experimur, quaedam summopere cavenda sunt, quaedam ve-

(1) Ep. ad Galatas Cap. 5. v. 19. 21.

(2) Apocalypsis Cap. 21 v. 8.

(3) Consule D. Bernardum lib. de modo bene vivendi §. 22. de continentia.

ro praestanda, ut ipsum fideliter custodire valeamus.

Quaedam, diximus, cavenda sunt: nimirum, quae identidem occurrunt, causae, et occasiones in deterius naturam hominis jam culpa sauciatam facile inclinantes.

Hinc 1. devitanda obscoena spectacula, indecorae saltationes, libri impurae lectionis, aliaeque id generis illecebrae, quae, ut experientia monemur, totidem sunt luxuriae irritamenta.

2. Scurrilis pariter, turpisque dicacitas a sermone penitus eliminanda: idque D. Paulus insinuat ep. 1. ad Corinthios cap. 15. v. 33. dicens: *Nolite seduci: corrumpunt mores bonos colloquia mala.*

3. Segne ocium item potissime avertendum; *multam enim malitiam docuit otiositas* (1). Exemplo id confirmant Ezechielis verba cap. 16. v. 49. et 50. ita de Pentapoli scribentis: *Ecce haec fuit iniquitas Sodomae... superbia, saturitas panis et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus..... et elevatae sunt, et fecerunt abominationes coram me* (2).

(1) Ecclesiastici Cap. 33. v. 29.

(2) D. Hieronymus in suis comment. lib. 5. e locó Ezechielis cit. concludit, semper aliquid agendum fore, -- ne ager pectoris nostri, cessante manu malarum cogitationum sentibus occupetur -- . Accedit Bernardus qui lib. superius notato §. 51. de operatione, ait: -- Luxuria cito decipit hominem otiosum, et vagantem: luxuria gravius urit, quem otiosum invenit.... homo

4. Ab ingluvie denique abstinendum. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*, ait Apostolus ep. ad Ephesios cap. 5. v. 18. Neque minus in escis, quam in potationibus hoc malum reperitur: nam concupiscentia, saginato corpore, fervescit; et *ubicumque saturitas abundaverit, ibi luxuria dominabitur:* ita D. Bernardus (1). Sed prae ceteris audire praestat Stridonensem doctorem, qui, cum plura ad compescendas illicitas sensuum delectationes tradiderit, ait ep. 54. ad Furiam N. 9: = Non condemno cibos, quos Deus creavit ad utendum cum gratiarum actione; sed juvenibus, ac puellis incentiva aufero voluptatis. Non Aetnaei ignes, non Vulcania tellus, non Vesevus et Olympus tantis ardoribus aestuant, ut juveniles medullae vino plenae, et dapibus inflammatae =.

Sed praeter hactenus enumerata, quae *negativa* appellari possunt, nonnulla sunt quoque media *positiva* ad castitatem fovendam, muniendamque necessaria.

Nam 1. requiritur corporis castigatio, quam fidelibus toto pectore suadens Apostolus inquit: *Si spiritu facta carnis morti-*

per laborem saepe vincit libidinem; corpus enim per laborem fatigatum minus delectatur flagitio —.

(1) Ibidem videatur D. Bernardus §. 25. de ebrietate.

ficaveritis, vivetis (1). *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis* (2). De se autem idem testatur: *castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte...... ipse reprobus efficiar* (3). Ad carnis mortificationem attinet praesertim vigil exteriorum sensuum custodia, quae praecipuum est castitatis sepimentum atque praesidium.

2. Requiritur cordis humilitas; etenim = radix cuncti mali superbia est, de qua, Scriptura attestante, dicitur: *initium omnis peccati est superbia* (4). Primae autem ejus soboles, septem nimirum principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur: scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria = (5).

3. Solertia insuper nobis opus est, ut, qua decet ratione, daemonis insidias evadere, ac lenocinia repellere valeamus. Principiis autem semper obstandum est: ideo, ne veternosos, ne imparatos nos adinveniat callidus animarum hostis, in hunc prompte, viriliter, constanter pugnemus (6).

4. At, cum nec *sufficientes simus cogitare*

(1) Ep. ad Romanos Cap. 8. v. 13.
(2) Ep. ad Galatas Cap. 5 v. 24.
(3) Ep. 1. ad Corinthios Cap. 9. v. 27.
(4) Ecclesiastici Cap. 10 v. 15.
(5) Ita scribit D. Gregorius M. lib. 31. Mor. Cap. 46. N. 87.
(6) Videatur Ep. 1. Apostoli Petri Cap. 5. v. 9.

aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo sit (1); ab alto auxilium expectemus, poscamus, *sumentes scutum fidei, in quo* possimus *omnia tela nequissimi ignea extinguere* (2). Hinc religiosus ac frequens Sacramentorum usus: hinc in divinis promissionibus fiducia: hinc pia et sedula oratio, quae maximum omnium est castitatis tutamen. Legimus namque Sapientiae cap. 8. v. 21. *Ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens nisi Deus det,... adii Dominum, et deprecatus sum illum* (3).

ARTICULUS SEPTIMUS

De VII. et X. Decalogi praecepto.

§. CIII.

Rem alienam, invito rationabiliter Domino, eripere, vel etiam concupiscere tantum Decalogus vetat (4). Quamquam Hic per furtum generatim sumptum violetur, multiplici tamen ratione pro variis furti speciebus fieri

(1) Ep. 2. ad Corinthios Cap. 3. v. 5.

(2) Ep. ad Ephesios Cap. 6. v. 16.

(3) Quoad sextum et nonum Decalogi praeceptum Confessarius pro opportunitate adire poterit La-croix Theol. mor. lib. 3. parte 1. tract. 4., Antoine tomi 2. parte 1. tract. de justitia et jure p. 3. Cap. 3., Alphonsum de Ligorio Theol. mor. tom. 1., aliosque plures fusiori calamo hac de re disputantes.

(4) Exodi Cap. 20. v. 15. 17. Deuteronomii Cap. 5. v. 19. 21.

potest ejusdem transgressio. Nam 1. Decalogo opponitur *furtum* proprie dictum, quod evenit, si res aliena clam privatae personae surripiatur: 2. *peculatus*, quo res publica arripitur: 3. *rapina*, qua res aliena per vim et minas extorquetur: 4. *plagium*, quo vel homo liber, vel servus alienus ducitur in servitutem: 5. *abigeatus*, quo armenta auferuntur: 6. *sacrilegium*, cujus nomine hic venit furtum sive de re sacra, sive in loco sacro perpetratum. Cujuscumque vero speciei furtum effingatur, hoc per se, ac in suo genere inspectum lethalem culpam haud dubie complecti Divina Oracula testantur. Angelus enim Zachariae *volumen volans* conspicienti ait: *Haec est maledictio, quae egreditur super faciem omnis terrae; quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur* (1). Gentium item Apostolus ad Corinthios haec scribit: *Neque fures.... neque rapaces regnum Dei possidebunt* (2). Crimen porro, quis leve dixerit, cui caelestem ultionem, cui perditionem aeternam Sacrae Literae denuntiant? Res adhuc rationis firmatur argumento, quod sic perspicue tradit Catechismus Tridentini Concilii parte 3. cap. 8. N. 7. dicens = Quam grave scelus furtum sit, ipsa naturae vis, et ratio satis

(1) Zachariae Cap. 5. v. 3.
(2) Ep. 1. ad Corinthios Cap. 6. v. 10.

ostendit. Est enim justitiae contrarium, quae suum cuique tribuit. Nam bonorum distributio, et assignationes jam inde ab initio jure gentium constitutas, divinis etiam et humanis legibus confirmatas, ratas esse oportet; ut unusquisque, nisi humanam societatem tollere velimus, ea teneat, quae ei jure obtigerunt.... Hujus sceleris importunitatem et immanitatem permulta declarant, quae furtum consequuntur. Fiunt enim judicia temere, et inconsulto, multa de multis; erumpunt odia; suscipiuntur inimicitiae; existunt interdum acerbissimae innocentium hominum damnationes =.

§. CIV.

Non modo per eas furti species, quas memoravimus, contingere potest Decalogi transgressio, verum etiam per alia crimina, quae furti notam juxta communem TT. calculum non evadunt. Fures autem ac raptores habendi sunt.

1. Qui debitam operibus ac laboribus mercedem non persolvunt. Hujusmodi noxam semel iterumque damnatam legimus in Sacris Libris, ac praesertim in Ecclesiastico, cujus haec sunt verba: = Panis egentium vita pauperum est; qui defraudat illum homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.

Qui effundit sanguinem et qui fraudem facit mercenario fratres sunt = (1). Immanes id generis fraudatores ad resipiscentiam advocat Jacobus Apostolus, eosque sic fatur: = Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quae advenient vobis....... Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quae fraudata est a vobis clamat: et clamor eorum in aures Domini sabaoth introivit = (2). Adnotandum, pari culpa constringi opifices, famulos, diurnaque mercede conductos, si pro integro pretio recepto ea, qua decet, ratione operam et laborem non contulerint.

2. Item furantur qui, quamvis legitima ex causa rem alienam acceperint, ac detinuerint, eam non restituunt, cum possint, ac teneantur. Hoc injustitiae genus furto jure aequiparatur; nam, ut ait Angelicus 2. 2. Quaest. 66. art. 3. ad 2. = detinere id, quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta: et ideo sub injusta acceptione intelligitur etiam injusta detentio =.

3. Idipsum omnino sentiendum, si rem fortuito inventam quis occupet nec reddere velit, quamquam ejus dominus jam innotescat, atque rationabiliter invitus censeatur.

(1) Ecclesiastici Cap. 34. a v. 25. ad 27.
(2) Ep. Cathol. D. Jacobi Cap. 5. v. 1. et 4.

Quod enim invenisti, et non reddidisti, rapuisti, inquit D. Augustinus serm. 178. de verbis Apostoli.

4. Furti pariter insimulandi sunt qui in pactionibus quoquo modo ineundis ceteros ad lucrum captandum dolose circumveniunt. Hanc nefariam rapacitatis speciem vehementer Scripturae Sacrae insectantur: *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera justa, et aequa sint pondera, justus modius, aequusque sextertius. Ego Dominus...* (1). *Non habebis in saculo diversa pondera, majus, et minus; nec erit in domo tua modius major et minor.... Abominatur Dominus Deus tuus eum qui facit haec* (2). *Statera dolosa abominatio est apud Dominum* (3).

5. Eodem furti scelere implicantur qui nummos in fenore ponunt; nam quidquid supra sortem vi mutui consequuntur, sanguinis pretium est. Adeo legi naturali hoc facinus repugnat, ut ethnici quoque, duce tantum ratione, pejorem existimarint feneratorem, quam furem. Compertum hinc est, cur leges Romanorum jusserint, *furem non manifestum duplo condemnari, quadruplo feneratores* (4).

(1) Levitici Cap. 19: v. 35. 36.
(2) Deuteronomii Cap. 25. a v. 13. ad 16.
(3) Proverbiorum Cap. 11. v. 1.
(4) Ex Varrone lib. 1. de re rustica.

6. A furto non excusantur postremo qui, annona ingravescente, fruges emunt, atque recondunt, ut caritas augeatur: ex quo, cum earum valor immodice crescat, nonnulli ex aliena calamitate lucrum capiunt in maximam societatis perniciem. De hisce ita scribit Proverbiorum auctor cap. 11. v. 26. *Qui abscondit frumenta maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium* (1).

§. CV.

Quamquam per se gravis culpa sit furtum ex dictis (§. CIII); quandoque tamen per accidens leve peccatum non excedit. Quod quidem tum evenit, cum res ablata parvi sit momenti, cum nullum aut leve proximo afferat detrimentum, cum denique a fure animus graviter nocendi removeatur. Hinc recte concludunt unanimi consensu doctores, majorem vel minorem furti malitiam e triplici capite potissimum fore dimetiendum: nempe ex rei subreptae qualitate et quantitate; ex conditione personae, cui quid aufertur; ex fine, quem sibi fur constituit in re aliena diripienda. At si perquiratur, quando levis vel gravis decernenda sit culpa ratione quantitatis rei, seu materiae furtivae,

(1) Vide D. Gregorium Nazianzenum orat. 15. in plagam grandinis, et D. Ambrosium, qui lib. offic. 3. Cap. 6. hoc furti genus — commentum nequitiae, et latrocinium — appellat.

heic maxime occurrit scriptorum dissensio; e quorum placitis id unum colligimus, certam regulam, qua discernatur, an gravis sit materia furti nec ne, arduum fore in praxi constituere. Unde satius fore ducimus hanc controversiam judicio prudentum relinquere pro circumstantiis definiendam. Ceterum in hoc generatim convenire videntur omnes, ut gravem furti materiam in eo reponant, quod una die ad congruum victum sufficere valeat pro statu personae, ac familiae, cui damnum infertur (1).

§. CVI.

Verum si plura dentur exigua furta, moraliter ita ne poterunt coalescere, ut mortiferam culpam efficiant? Sententia communis affirmat in hypothesi, qua quispiam, ut ditescat, vel graviter noceat, uni pluribusque minutatim furetur. Et merito sane: licet enim haec furta separatim accepta levia sint; ratione tamen finis admodum culpabilis, quo ex alienis bonis quis vult injuste locupletari, aut valde ceteris obesse, moraliter sic invicem junguntur, ut lethalem cul-

(1) Consulantur Lessius lib. 2. de just. et jure Sect. 2. Cap. 12. dubitat. 6; Reiffenstuel Theol. mor. tract. 9. de praec. dec. dist. 6. Quaest. 1. N. 9; La-croix lib. 3. p. 1. N. 983. et 985; Lucius Ferrarius verb. Furtum N. 20. et seq., Antoine tom. 2. tract. de just. et jure parte 3. Cap. 5. Quaest. 4.

pam attingant. Sin autem praecisa sit haec prava furantis intentio, tum necessario distinguitur. Si materiae per minima furta sublatae ad notabilem quantitatem adhuc non pervenerint cumulatim sumptae, jam per se patet, furem mortifere non peccasse. Contra, si adeo concrescat haec quantitas, ut materia ad gravem culpam sufficiens compleatur; si in fure advertentia non desit, sed restituendi voluntas: tunc locum habent profecto minantia Habacuc verba dicentis cap. 2. v. 6. *vae ei, qui multiplicat non sua.* Haec siquidem furta saltem ob effectus moraliter connexa sunt. Nam si uni tantum facta fuerint, non leve illi afferunt detrimentum, si pluribus, etiamsi leve singulorum sit damnum, nihilo secius fur sciens et volens rem alienam in quantitate notabili detinet injuste. Quae duo sufficere ad grave peccatum in furto inducendum, nemo est, qui non videat. Quapropter Innocentius XI. jure damnavit sequentem propositionem: *Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.*

§. CVII.

Thesim alteram circa furtum Ethicae, Jurisque Institutores disputandam proponunt,

inquirentes, num, urgente necessitate, liceat rem alienam auferre? Ad hoc, ut rite quaevis dubitatio eliminetur, triplex, in quo quis versari potest, necessitatis gradus prae oculis habendus est. Necessitas vel *extrema* dicitur, vel *gravis*, vel *communis*. Prior urget in primis, quando mors cuipiam immineat, vel maxima calamitas, unde homo perire soleat, nisi adjuvetur. Altera ea est, quam grave malum consequitur; veluti captivitas, infamia, dignitatis privatio, vel notabilis bonorum jactura. Postrema in egestate consistit, quae incommoda utique parit, sed molestam nimis vitam non efficit; quaeque propria illorum est, qui ostiatim mendicare consuescunt. Hisce ad rerum intelligentiam praefatis, quaestionem ita brevi resolvimus.

Certum est 1. in Decalogum non peccare, qui, ut sibi, suisque consulat, sumit ex alienis quidquid opus est, ut ab extrema necessitate, eripiatur, cum tanta *necessitas ab omni lege sit exempta* (1). Hujusce veritatis in eo potissima ratio fundatur, quod jure gentium obtinuit quidem inter homines bonorum partitio, sed minime derogari potuit legi naturae, vi cujus omnia sunt communia, dum agitur de necessariis ad vitam,

(1) Cap. Exiit §. Ne quidquam. de verborum significatione in 6.

quam ex ipsa lege quisque servare tenetur (1). Ad rem porro alienam licite in posito casu arripiendam, ejusmodi sit oportet extrema, qua premimur, necessitas, ut per media diversa haec nequeat averti. Requiritur insuper, nt ille, cui res aufertur in eadem necessitate non reperiatur: secus praevalet jam nota regula juris: *in pari causa melior est possidentis conditio* (2).

Certum est 2. in gravi, eoque magis in communi necessitate nefas esse aliena furari. Cum etenim vita nemo periclitetur in alterutra constitutus, ratio, quam pro extrema egestate deduximus e jure naturali, vim habere non potest. Assertionem hanc posteriorem corroborant Ecclesiae Catholicae sanctiones. Nam *cap. Si quis* 3. *de furtis legimus: Si quis propter necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus poeniteat hebdomadas tres.* De qua porro necessitate heic loquitur textus juris? Non de extrema, in qua ex demonstratis

(1) Ex traditis liquido constat vere ac proprie appellandum non esse nomine furti vel rapinae actum, quo extrema compulsus necessitate quis eripit aliena. Hic enim utitur jure suo ex lege naturae, cui nemini obsistere licet. Videatur D. Thomas 2. 2. Quaest. 66. art. 7. ad 2.

(2) De restitutione bonorum, quae ob extremam necessitatem ablata fuere, plura disserunt TT. inter se de more dissentientes. Prae ceteris consulantur Scotus in 4. dist. 15. Quaest 1. et 2. Lessius cit. loc. dubit. 12; Silvester verb. Furtum; Antoine ibidem Quaest. 10.

culpa caret accipere aliena. Ergo de gravi fit sermo. At si in gravi necessitate liceret aliena rapere, cur qui furantur poenitentiae subjiciendi? Accedit Innocentii XI. auctoritas, qui laxiorem doctrinam rejecit in hac propositione contentam: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi* (1).

ARTICULUS OCTAVUS

De VIII. Decalogi praecepto.

§. CVIII.

Non modo vitam hominum et opes lex divina defendit, sed in tuto quoque famam ponit ac honorem: quae duo vel ipsis fortunae bonis maxime praestant juxta illud Proverbiorum cap. 22. v. 1. *Melius est bonum nomen, quam divitiae multae* Antequam ulterius in hoc articulo progrediamur, accuratam famae, ac honoris notionem congruum erit in primis exhibere. = Fama, et honor, inquit clarissimus Gotti, licet vulgo pro eodem accipiantur, diversa tamen sunt.

(1) Etsi vera sint, quae de necessitate gravi generatim statuimus: nihilo secius animadvertimus cum Lessio, quod, attentis circumstantiis, haec talis interdum esse potest, ut ab ipsa facilis in extremam sit lapsus, nisi proximo egenti succurratur. Quo periculo extante, necessitas gravis tum veluti extrema non immerito existimabitur.

Nam honor habet pro materia propria alterius excellentiam, ut sapientiam, ingenium, nobilitatem, divitias, dignitatem. Unde solet definiri cum S. Thoma 2. 2. Quaest. 103. art. 2. *Quaedam protestatio de excellentia bonitatis alicujus.* Fama vero habet pro materia primaria et propria virtutem, et bonos mores alterius. Unde definiri solet: *Clara notitia, quam alii de nobis habent.* Unde consistit potissimum in opinione virtutis et sapientiae, et bonarum actionum alterius; quamvis secundario consistat etiam in opinione ingenii, eloquentiae, nobilitatis, et aliorum, quae inter homines magni aestimantur = (1). Hisce dilucide praenotatis, dicimus, quidquid alterius famam vel honorem injuste laedit, octavo prohiberi divino pracepto, quod sic in Decalogo enuntiatur: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium* (2).

§. CIX.

Detractionem praecipue vetat hujusmodi praeceptum. Ex communi sententia haec est *indebita alienae famae violatio, quae fit, eo absente, cui detrahitur.* Pro multiplici ratione, qua proximi fama diminui potest,

(1) Hactenus Card. Vincentius Gotti in Theol. schol. dogm. tom. II. tractat. de restitutione. Quaest. 3. dub. 1. §. 1.

(2) Exodi Cap. 20. v. 15.

octo sunt detractionis species, eaeque duobus hisce male tornatis versibus ita indicantur:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens;
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remisse.

Priores quatuor obtrectandi modi *positivi*, ac *directi* appellari solent: ceteri *indirecti* et *negativi*: horum singuli breviter explicentur.

Imponens ille est, qui falsum crimen vel defectum in aliquem intendit; quo in casu detractio proprio nomine *calumnia* nuncupatur. *Augens* est qui verum crimen, aut defectum alienum exaggerat. *Manifestans* dicitur qui occultam proximi culpam absque gravi et justa causa uni vel pluribus revelat. *In mala vertit* qui bonum opus alterius in pravum sensum interpretatur ad instar Pharisaeorum, qui de Christo prodigia operante inique ajebant: *In Beelzebub principe daemoniorum ejicit daemonia* (1) *Qui negat* detractionis fit reus, veras alicujus dotes ac merita impugnando. *Qui minuit* pariter culpam non evadit, extenuando scilicet laudes, quae cujuspiam sapientiae aut virtuti debentur. *Qui reticet* detractor est, cum silentium, temporis et loci inspectis circumstantiis, vel pro bonorum alicujus operum

(1) Lucae Cap. 11. v. 15.

vituperatione habendum est, vel pro enarrati criminis confirmatione. Demum *remisse laudare* est adeo nimis temperate alterum commendare, ut ipsamet commendatio in dedecus potius vertatur, quam in honorem illius, cui tam frigidae ac simulatae laudes tribuuntur. Quocumque autem modo famae proximi derogetur, detractio generatim inspecta peccatum est suapte natura grave (1). Hanc enim devitandam praecipiunt Scripturae Sacrae: *Cum detractoribus ne commiscearis* (2): hanc serpentis morsibus, quibus nil magis nocuum, assimilant: *Si mordeat serpens in silentio; nihil eo minus habet, qui occulte detrahit* (3): hanc regius vates pie insectabatur: *Detrahentem proximo suo, hunc persequebar* (4): hanc Dei odium ac gehennam promereri docet Apostolus Paulus: *Detractores Deo odibiles* (5): *neque maledici..... regnum Dei possidebunt* (6). Haec plane sufficiunt divinarum Literarum oracula ut procul *eliminemus omnem ex ore nostro de-*

(1) Ex fine, in quem detractio per se tendit, ejus turpitudinem deducit Angelicus dicens 2. 2. Quaest. 73. art. 2. — Detractio secundum suam rationem ordinatur ad denigrandam famam alicujus... Auferre autem alicui famam valde grave est, quia inter res temporales fama videtur esse pretiosior —.

(2) Proverbiorum Cap. 24. v. 21.

(3) Ecclesiastici Cap. 10. v. 11.

(4) Psalmo 100. v. 5.

(5) Ep. ad Romanos Cap. 1. v. 30.

(6) Ep. 1. ad Corinthios Cap. 6. v. 10.

tractionem, scientes, quod etsi cinerem comedamus, nulla nobis asperae vitae hujus utilitas proderit, nisi a detractione abstineamus (1). Quoniam vero in alienis animi defectibus aperiendis ob plurima adjuncta modo gravior esse potest detractio, modo levior, modo etiam nulla; hinc, ne versemur in dubiis, quoad rem tanti momenti adhuc nonnulla consideranda supersunt.

Animadversio 1. Calumnia, qua nil deterius inter plures detractionis species, nisi ex materiae levitate minuatur, lethale peccatum semper est, tum ob gravem injuriam, quae famae innocentis impingitur, tum etiam ob perniciosum, quod continet, mendacium. Res firmatur auctoritate Innocentii XI., qui sub N. 44. hanc propositionem damnavit: *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat.*

Animadversio 2. Oblocutor, si absque legitima causa gravem et occultam proximi culpam sive ex vindicta et odio, sive ex garrulitate manifestet, non leviter peccat, nisi propter ignorantiam, aut perfectae advertentiae defectum excusetur. Etenim in re gravi proximi famam laedit, et injuste sane; cum jus cuique competat ad propriae famae conservationem.

(1) Ita scribit D. Joan. Chrysostomus Hom. 3. ad populum.

Animadversio 3. *Quae comittuntur in proximum,* inquit Angelicus Doctor, *sunt pensanda per se secundum nocumenta, quae proximo inferunt: tanto autem est majus nocumentum, quanto majus bonum demitur* (1). Manifesto patet exinde malitiam detractionis potissimum esse ex effectibus metiendam. Eo gravius igitur erit hujusmodi peccatum, si praeter vulnus famae irrogatum damna quoque in fortunae bonis consequantur. Tum quippe justitia per alterius occulti criminis indebitam proditionem dupliciter labefactatur; ideoque in bonis tum famae tum fortunae duplex restitutionis onus obtrectantem devincit.

Animadversio 4. Ad hoc ut mortaliter quis detrahendo peccet, universim existimant TT; non requiri, ut grave crimen alterius pluribus referatur, sed sufficere ut vel uni tantum absque causa enarretur. Ibi namque violatio famae semper intervenit notabilis et injusta (2). Eum nihilominus a lethali saltem excusant, qui non detrahendi animo vel nocendi, sed ad quoddam solamen capiendum gravem offensam clam sibi, ac in-

(1) Ex D. Thoma 2. 2. Quaest. 73. art. 3.

(2) Vide Sotum lib. 4. Quaest. 6. art. 3; Lessium ibid. Cap. 11, de detractione et contumelia dubit. 12; de Lugo disput. 14. N. 51. La-croix, Sporer, aliosque a Ferrario citatos verb. detractio art. 1.

juste illatam amico revelat: humanae quippe naturae commiserantur infirmitatem, propter quam difficile nimis est, atque perfectae virtutis proprium non conqueri de injuria recepta. Aliunde, cum quis in alterum crimen admisit, jam sponte renunciavit juri, quo gaudebat, ne ipsius fama a persona offensa in discrimen poneretur.

Animadversio 5. Graviter item peccat qui etiam in rebus minimis detrahit, si ejus finis admodum pravus sit, praesertim vero si oblocutio secreta fiat, ut exoriantur inter homines dissidia, ut amicorum benevolentia turbetur, ut vinculum solvatur caritatis. Haec detractionis species *sussurratio* proprie dicitur, ejusque nequitiam tum e libro noscimus Ecclesiastici dicentis cap. 28. v. 15. *Sussurro, et bilinguis maledictus*, tum e Proverbiorum cap. 6. v. 16. et 19. *Sex sunt, quae odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus... proferentem mendacia testem fallacem, et eum, qui seminat inter fratres discordias.*

Animadversio 6. Justa ratio, ob quam licet alienum pandere crimen aut naturae defectum, necessitas est, vel magna utilitas infamiae proximi anteferenda. Prae primis autem id fieri, quandoque *bonum publicum* requirit: si e. c. de crimine agatur ex quo societatis immineat pernicies: si in foro com-

petente quis juridice de auctore criminis interrogetur: si tandem lex aliqua praecipiat alienam culpam vel defectum prodere, veluti impedimentum, quo dirimitur conjugium, vel irregularitatem, qua clericus detinetur. Secundo, idipsum postulat *bonum audientis*, si aliennm crimen privatae alicui personae noxium sit evasurum; nam ex officio caritatis proximi detrimentum, cum valeamus, impedire tenemur (1). Tertio, *bonum delinquentis* saepe etiam exigit, ut ii de latente crimine moneantur, quorum consiliis, hortationibus, auctoritate fieri potest, ut vitiis abdicatis, peccator ad rectum virtutis tramitem perducatur. Postremo *bonum ipsius revelantis* exposcit interdum, ut aliena culpa ab ipso patefiat, si per eam fortunis, fama, aut vita periclitetur. Hinc jure quisque poterit ad praecavendas hominis dolosi circumventiones ac insidias ab amico prudenti petere consilium et opem: poterit in judicio sistere, ut pro injusto damno ab altero sibi clanculum illato compensetur: rursus poterit auctorem criminis denuntiare, cum propriam innocentiam secus defendere non valeat.

Animadversio 7. Si crimen *notorietate* con-

(1) Exemplum hac de re profert ipse divinus Sospitator, dum turbas circumstantes sic alloquitur Lucas Cap. 12. v. 1. -- Attendite a fermento Pharisaeorum, quod est hypocrisis.

stet *juris* vel *facti*, tum de eo qui loquitur nec leviter peccat, dummodo caritatis norma semper utatur. Nam ob crimen in hypothesi vulgatum fama vel penitus amissa fuit, vel adeo in discrimine posita, ut moraliter impossibile sit, ne ad aliorum notitiam deveniat (1). Heic tamen casum excipiunt Ethicae scriptores, in quo crimen sit respectu alicujus tantum communitatis vel collegii notorium, non absolute, nec alibi probabiliter evulgandum. Hoc si palam referatur, ex communi sententia gravis culpa contrahitur (2). Quamquam etenim ubi deliquit reus famam amiserit; extra nihilominus eam servat, jusque habet, ne aliena malitia hoc sibi maximum bonum auferatur. Itidem neque absolvitur a mortali, qui criminis olim notorii, dehinc vero prorsus obliti, revocat memoriam. Per hanc siquidem oblivionem proximus in pristinum statum restitutus fama, quam denuo recuperavit, quamque jure possidet, nequit sine injuria privari.

Animadversio 8. Detrahentibus, quos *scyl-*

(1) Pro tironibus advertendum erit, notorietatem juris, eum res pateat per judicis sententiam, haberi; notorietatem vero facti, dum per facti evidentiam res ita pluribus innotescit, ut omnino nequeat occultari.

(2) Videatur Sanchez in Decal. lib. 6. Cap. 18. N. 85., de Lugo in respons. moral. lib. 4. dubitat. 46; et Lessius loc. sup. cit. dubitat. 13.

leos canes Hieronymus appellat (1), nec licet aurem accomodare; ait enim Proverbiorum Auctor cap. 4. v. 24. *Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te.* Quanta porro sit obtrectationem audientis nec impedientis culpa, significat hisce verbis D. Bernardus lib. 2. de consider. ad Eugen. Pont. cap. 13. dicens: *Detrahere, vel detrahentem audire: utrum horum detestabilius sit, non facile dixerim.* Enimvero dubitandum non est, potissimam detractionis causam ab audientibus ortum habere. Cur namque in multis fervet hoc vitium? *Quia pene ab omnibus libenter auditur* (2). Auditorem si tollas, vix unum detrahentem invenies. Interim posita gravi detractione, lethalis communiter in audiente pravitas censetur 1. si alterum ad detrahendum provocet, quia uti causa primaria ad famam proximi laedendam injuste concurrit: 2. si detractioni consentiat, eam siquidem probando ansam exhibet peccandi oblocutori, ejusdemque noxae fit particeps (3): 3. si demum impedire negligat detractionem, cui obsistere facile sibi foret; nam caritatis officium

(1) Ita Stridonensis Pater Oper. t. 2. p. 1. in fin. prolog. ad vitam S. Hilarionis edit. Vallarsii.

(2) Ex D. Hieronymo ep. 148. ad Celantiam t. 1. p. 2. N. 16.

(3) Collaudere delinquentes plus est, quam delinquere, ait Chrysostomus Homilia de David.

praetermittit, alienam famam quoad fieri possit servare ac tueri jubentis (1). At quomodo impedienda detractio? In spiritu lenitatis *directe* monendus erit detractans, si loci ac personarum id ferant circumstantiae. Sin autem correptio inanis praenoscatur vel nocua, tum *indirecte* saltem, ea, qua magis deceat, ratione oblocutori occurrendum. Hinc sermones ad alia convertantur; dotes illius, cui detrahitur, virtutesque referantur; silentio, saltem vultusque compositione ostendatur animi dissensus; adeo ut *discat detractor, dum te videt non libenter audire, non facile detrahere* (2).

§. CX.

Judicium de improbitate proximi temere conceptum alienam famam injuriose denigrat, cum quisque jus habeat, ne sui existimatio ab hominibus offendatur, quoties de ejus crimine aut vitio prudenter saltem non constet. Indubium ergo est, octavo Decalogi praecepto *judicium temerarium* aeque ac detractionem adversari. Ille imprudenter ac temere judicare dicitur, qui nullis, ine-

(1) Videantur Angelicus 2. 2. Quaest. 73. art. 4. et Seraphicus in specul. anim. Cap. 2.

(2) Haec sunt Hieronymi verba ad Nepotianum ep. 52. N. 14. tom. 1. p. 1; praeter quem legi poterit D. Bernardus de diversis serm. 17. de triplici custodia manus, linguae, et cordis.

ptisve conjectnris innixus de alterius honestate ac moribus recte non sentit. Is antem in caritatem peccat, quia ut ait Apostolus, *caritas non cogitat malum* (1): peccat quoque adversus justitiam quia temere judicando alienam famam inique pessundat. Ita sentit Angelicus cum ceteris generatim (2), qui peccatum hocce ex genere suo mortiferum demonstrant e Christi verbis Matthaei cap. 7. v. 1. et seq. *Nolite judicare, ut non judicemini; in quo enim judicio judicaveritis judicabimini, et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Verum ut judicium imprudens mortiferum censeatur, haec tria concnrrant necesse est: 1. nempe *res gravis;* nam si de re parvi momenti ageretur, levis foret injuria proximo irrogata, neque venialem malitiam excederet: 2. *judicium deliberatum;* procedens scilicet a plena advertentia et cognitione: secus, si per subreptionem, aut ignorantiam illud fieret, perfectum in eo deesset voluntarium ad mortalem culpam requisitum: 3. demum *indicia levia, nec ad prudenter judicandum sufficientia;* gravia quippe si ea forent, judicium sane prudens esset, non temerarium, nec

(1) Ep. 1. ad Corinthios Cap. 13. v. 4.

(2) Vide Angelici Doctoris summam 2. 2. Quaest. 60. integ. art. 3.

ideo culpabile dici posset (1). Ad hoc peccatorum genus inter homines tam frequens, tam facile, devitandum perutile erit mente saepe recolere monitum D. Bernardi serm. 40. in cantica N. 5. ita scribentis: = Cave alienae conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius judex. Etiamsi perperam actum quid deprehendas, nec sic judices proximum, magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes.... Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, et dicito apud temetipsum: vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem = ?

(1) Notandum, a judicio temerario summopere distare meram suspicionem, ac dubitationem, cum ab iis de alterius malitia excludatur firma persuasio. Utraque per accidens mortalis esse potest, si ex odio, contemptu, invidia, aliove pravo affectu procedat. Sed per se neutra ex communi sententia gravis est, quia naturae potius concedenda infirmitati, quam malitiae imputanda. In id consentit D. Augustinus tract. 90. in Joannem dicens N. 2. — Hoc ad humanam tentationem pertinere arbitror, sine qua ista duci non potest vita.... Quid enim tam humanum quam non posse inspicere cor humanum; et ideo non ejus latebras perscrutari, sed plerumque aliud quam id, quod ibi agitur suspicari?... et si suspiciones intelligere non possumus, quia homines sumus; judicia tamen, idest definitas, firmasque sententias continere debemus —. Consulatur etiam parlaudatus Pater de serm. Dom. in monte secund. Matth. lib. 2. Cap. 18. Quoad simplicem dubitationem, quae in judicii suspensione consistit, advertendum postremo est, eam negativam esse posse, cum nulla sint argumenta, quibus de bonitate vel malitia alterius judicetur: quo in casu dubitatio a prudentiae regulis non abscedit, nulli est injuriosa, hinc a peccato prorsus immunis.

§. CXI.

Quemadmodum famam proximi lacessunt ex probatis detractio, et judicium temerarium, ita honori derogat *contumelia,* seu *convicium*: unde haec quoque Divina Lege prohibetur. Honor per contumeliam impetitur, cum alicui praesenti verum aut falsum crimen vel defectus injuste objiciatur. Hanc porro culpam ex suo genere lethalem esse, D. Thomas hoc brevi ostendit argumento 2. 2. Quaest. 72. art. 2. = Nihil meretur poenam inferni, nisi peccatum mortale. Sed convicium vel contumelia meretur poenam inferni secundum illud Matthaei cap. 5. v. 22. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennae ignis.* Ergo convicium vel contumelia est peccatum mortale = . Quin immo subsequenti Quaest. 73. art. 3. ad 2. ulterius procedit citatus Doctor, et inquit: = Gravius peccatum est contumelia, quam detractio in quantum habet majorem contemptum proximi; sicut et rapina est gravius peccatum, quam furtum =. Neque tam à verbis, quam a conditione personae, quae inhonestatur, pensanda est hujusce culpae malitia; nam, licet in semetipsa levis, quandoque gravis evadit respectu illius, cui dedecus infertur. Sic ad exemplum, contumelia, quae privatae personae, quae extraneo illata ve-

nialis foret, inter levia recensenda non erit, si magistratui, si parentibus irrogetur. Contra vero si aequalis vel inferior exprobretur ex joco potius, quam animo contemnendi: si ex levitate injuria proferatur, vel ob educationis defectum, uti apud vulgares homines contingere solet: si demum quis ad correptionem objurgetur, aut etiam ad scandalum aliorum vitandum; etsi per se gravis sit contumelia, in prima tamen et altera hypothesi leve tantum peccatum erit, vel nullum, in postrema actus virtutis esse potest. Hac ratione legimus, Christum persaepe vehementissime pharisaeos arguisse, eosque compellasse *Lupos rapaces* (1), *hypocritas, sepulcra dealbata, serpentes, genimina viperarum* (2).

§. CXII.

Qua parte affirmans est mandatum, de quo hactenus disputavimus, *veracitatem* jubet. Dominicis exemplis et verbis columbae simplicitatem cuique suadentibus (3) haec virtus apprime convenit, ac diserte praecipitur in ep. ad Ephesios cap. 4. v. 25. Apostolo dicente: *Deponentes mendacium loquimini veritatem.* Cum e diametro veracitati opponа-

(1) Haec in Evangelio Matthaei Cap. 7. v. 15.
(2) Ibidem Cap. 23. a v. 13. ad 33.
(3) Ibidem Cap. 10. v. 16.

tur quaelibet simulatio, cumque mendacium et restrictio mentalis ad simulationem pertineant; consequens inde est octavo Divinae Legis praecepto utrumque prohiberi. Quaenam porro de mendacio, quaenam de restrictione mentali tradant Ethicae Christianae scriptores ad calcem hujusce articuli summatim videamus.

1. = Nemo dubitat mentiri eum, qui volens falsum enuntiat causa fallendi: quapropter enuntiationem falsam cum voluntate ad fallendum prolatam, manifestum est esse mendacium =. Ita lib. de mendacio cap. 4. N. 5. scribit Hipponensis Doctor, juxta quem recte dicitur a TT. mendacium: *Locutio aut significatio quaevis contra mentem cum animo decipiendi.* Hoc autem ad triplex refertur genus, ac vulgo appellatur *jocosum, officiosum*, vel *perniciosum* pro triplici fine delectandi, juvandi, aut nocendi, quem sibi quisque mentiendo constituit (1). Verum qualiscumque generis mendacium effingatur, hoc semper malum esse auctoritate simul ac ratione demonstramus (2). In primis enim quodcumque mendacium indiscriminatim re-

(1) Quoad mendacii divisiones post Augustinum lib. de Mendacio Cap. 14. N. 25. legi poterunt D. Thomas 2. 2. Quaest. 100. art. 2., et D. Bonaventura in 3. sentent. dist. 38. art. 1. Quaes. 5.

(2) Ostenditur haec veritas contra Platonem, Origenem, Priscillianistas, Cassianum, aliosque veteres catholicos platonico-

probant Scripturae Sacrae. *Mendacium fugies;* inquit Deus Exodi cap. 23. v. 7. *Non mentiemini;* Levitici cap. 19. v. 11. *Noli velle mentiri omne mendacium;* Ecclesiastici cap. 7. v. 14. Sanctorum Patrum auctoritas accedit, e quibus Justinum indicare sufficiat (1), Basilium (2), Cyprianum (3), Hieronymum (4), Gregorium (5), ac praesertim Augustinum, qui pluries disserens de mendacio ostendit, nec pro alterius vita servanda, nec pro tuenda pudicitia, nec pro aeterna proximi damnatione impedienda fas unquam esse mentiri (6).

Idipsum, uti jam diximus, ratione constat, qua duce, sic ratiocinamur. Nullum profecto est mendacium, quod non adversetur veritati. Sed quidquid veritatem oppugnat contrarium est octavo Decalogi praecepto. Nullum est igitur mendacium, quod Legi Divinae non opponatur. Quod autem Divinae Legi contradicit peccatum est. Nullum ergo mendacium a culpa excusatur. Alterum

rum dogmatum sectatores, qui mendacium licere saltem officiosum autumarunt.

(1) Apologia 2.

(2) Regula 76. In regulis brevius tractatis.

(3) Lib. 3. ad Quirinum Cap. 104. adversus Judaeos.

(4) Commentar. lib. 2. in Caput 3. Ep. ad Ephesios.

(5) Moralium lib. 18. N. 5.

(6) Lib. de mendacio Cap. 13. N. 22. Cap. 15. N. 25., et lib. contra mendacium Cap. 19. N. 38. Cap. 20. N. 40.

argumentum ex eo promit D. Augustinus, quod intrinseca ibi patet deformitas, ubi lingua interpres animi a sensu, et a cogitatione discordet. = Verba *inquit citatus Pater in Enchiridion cap.* 22. verba propterea instituta sunt, non per quae sibi invicem homines fallant, sed per quae in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est =. Verum e tribus mendaciorum generibus, quae a culpa defendi non posse monstravimus, quale mortiferum dicendum? Quamvis labe non careat mendacium, quo vel jocamur, vel utilitati proximi consulimus, hoc tamen per se et ex genere suo grave non est. De mendacio pernicioso non aeque sentiunt universim TT., cum interdum in eo caritas enormiter laedatur. Exinde manifesto liquet, ad posterius genus mendacii referri tantum verba Sapientiae cap. 1. v. 11. *os, quod mentitur occidit animam*, aliaque plura loca in Sacris Literis contenta, quae mendacibus sempiterna decernunt supplicia (1).

(1) Cum e superius tradita definitione ad mendacium potissime requiratur fallendi voluntas; duplex consectarium hinc sponte descendit. Infertur siquidem 1. nec mendacium, nec ullum ideo peccatum in iis haberi, quae joco proferuntur, si, ut ait Augustinus lib. de mendacio Cap. 2. N. 2., habeant evidentissimam ex pronunciatione, aut ipso jocantis affectu significationem animi nequaquam fallentis, etsi non vera enuntiantis.

2. Ad *mentalem restrictionem* tandem progrediamur eam definientes = mentis conceptum, quo verba ad sensum referuntur ab eo diversum, quem ipsa verba praeseferunt =. *Pure mentalis* ea porro vocatur, si ab audiente percipi minime possit sensus latens, quem qui loquitur intendit: *late* vero, seu non *pure mentalis* est, si ex ipsa dicendi ratione, si ex consuetudine, vel circumstantiis sensus loquentis audientibus innotescere valeat. Primam restrictionis speciem continet haec propositio. *Caesar neminem interfecit*, subintelligitur autem *veneno:* quae propositio, licet vera sit juxta mentem loquentis, nihilominus prouti generatim exponitur est falsa in hypothesi, qua Caesar gladio vel fuste inimicum occiderit. Altera species restrictionis haberi potest, si dicatur: *Cajus est vere dives;* scilicet non terrenarum opum refertus, sed ornatus meritis, perfectaque virtute cumulatus. Qui sensus facile attingitur, si consideretur, virtutes, non census veras animi divitias constituere.

Hisce definitis, cum universo Doctorum agmine indubitanter concludimus, *restrictio-*

Infertur 2. neque peccare qui ignorans aut errans falsum pro vero affirmat: nemo enim, subdit ipse S. Doctor Enchirid. Cap. 18., nemo mentiens judicandus est qui dicit falsum, quod putat verum, quoniam quantum in ipso est, non fallit, sed fallitur.

nem pure mentalem nunquam omnino licere. Hujusce rei veritas apprime nititur Innocentii XI. auctoritati, qui sub N. 26. et 27. contrarias damnavit propositiones (1). Adhuc autem sequenti rationis argumento assertio nostra sic roboratur. *Ille mentitur*, ait Augustinus lib. de mendacio cap. 3. *qui aliud habet in animo aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enuntiat*. Sed in hoc proprie consistit *restrictio pure mentalis*. Ea igitur aeque ac mendacium penitus reprobanda. At si de *restrictionibus non pure mentalibus* sermo sit, gravis inter scriptores exoritur contentio, quorum alii eas usurpari posse arbitrantur, alii firmissime negant. Nos vero, cum a studio partium simus prorsus alieni, ex uno capite adnotamus, restrictionis late mentalis non semper usum probari posse: nempe si eam consulto quis adhibeat, ut audiens in errorem deducatur; si interrogans jus habeat, ne per amphibolias et

(1) En propositiones a Rom. Sede proscriptae. Prop. 26. -- Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, non est perjurus --. Prop. 27. -- Causa justa utendi his amphibologiis est quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, et studiosa --.

ambages illi veritas operiatur; si nulla demum occurrat justa causa, ob quam sit aliquid reticendum. Observamus aliunde in hac restrictionis specie verum indicari subobscure quidem, non ita tamen, ut, circumstantiis extrinsecis rite inspectis, aut verborum significatione, quibus exprimitur aequivoca propositio, veritas nequeat non agnosci. *Restrictio* igitur *late mentalis* per se fallax dici non potest. Cum itaque hujusce restrictionis proprium sit, non falsum proponere, sed verum sub prudenti quadam dissimulatione tacere; cur ipsius usus argui poterit, cum vel urgentis necessitatis, vel honestae utilitatis, vel specialis obligationis causa ad obtegendam veritatem compellat? Profecto si una vel altera ex praenotatis causis concurrat; si praeterea deceat, rem vel factum audienti latere, nec ulla via supersit, qua illud ignotum servetur; si finis, quem sibi loquens proponit, occultatio sit veritatis, non audientis deceptio: hisce omnibus circumstantiis positis ac limitationibus, verum occulere fas esse per verba obscura ac metaphorica rigidiores quoque Theologi concedunt (1); cum ea non semel Chri-

(1) Quoad restrictionem mentalem consulantur D. Raymundus lib. 1. Summae Tit. de mendacio; D. Antoninus parte 2. tit. 10. Cap. 1. §. 1., D. Thomas 2. 2. Quaest. 69. art. 2. et Quaest. 110. art. 3. ad 4., Contensonins theologia mentis et cor-

stum ipsum usurpasse Divina testentur Evangelia (1).

CAPUT SECUNDUM

DE ECCLESIAE PRAECEPTIS.

§. CXIII.

Praecipua, ac generalia, quae pro universo orbe catholico Ecclesia Christi condidit, praecepta quinque communiter enumerantur. Cuncti namque utriusque sexus fideles, qualislibet sit eorum status et conditio, indiscriminatim jubentur

1. Dominicum diem colere, nec non cetera solemnia Ecclesiae auctoritate constituta:

2. Iisdem festivis diebus reverenter Sacro interesse:

3. Nonnullis diebus indicta jejunia, atque abstinentiam a carnibus servare:

4. Saltem quotannis ad Poenitentiae Sacramentum accedere:

5. Sacram Eucharistiam Paschali tempore suscipere.

dis tom. 2. lib. 8. dissert. 2. Cap. 1. Speculat. 2. in Corollario; Tournelii continuator theol. mor. tom. 1. tract. de virtute Religionis parte 2. Cap. 3. art. 5., ac ceteri passim.

(1) Vide Evang. Joann. Cap. 2. v. 19. et Cap. 7. v. 8., Marci Cap. 13. v. 32., et Lucae Cap. 24. v. 28.

Cum ad rem sacramentariam pertineant duo posteriora praecepta, haec in praesenti lubenter praetermittimus, de ipsis opportune in libro IV. Institutionum deinceps acturi. Reliquum ergo est, ut de prioribus per totidem articulos breviter edisseramus in sententiarum delectu graviorum Theologorum semper vestigia sectantes.

ARTICULUS PRIMUS

De Festorum sanctificatione.

§. CXIV.

Praeceptis caerimonialibus judaeorum per novum Testamentum jam abrogatis (§. XXII. XXIII), Sabbata quoque, Neomeniae, aliaeque omnes solemnitates, quas descripsimus (§. LXXXVIII.), una cum lege Mosaica desiere. At quoniam jus naturae cultum amoris, obsequii, servitutis Deo rependendum praecipit; opus hinc erat in lege Evangelica nova solemnia, diesque ceteris sanctiores decernere, quibus homines hoc maximo erga Deum officio debita ratione fungerentur. Reapse id praestitit Ecclesia Christi vi potestatis, quam a suis primordiis divinitus recepit (XXXIX). Noscimus equidem Lutheranos, et Calvinianos Ecclesiam Catholicam arguere, quasi nullo jure discrimen

statuisset inter dies feriatos, atque profestos novumque conscientiis laqueum contra fas injecisset: verum, qua fronte id audeant, nescimus (1). E variis argumentis, quibus telum adversariorum facile retundi posset, vel unum seligamus ex judaica synagoga deductum. Vix oculos ad libros Sacros convertere satis est, ut quisque sibi suadeat, plures apud Hebraeos extitisse festivos dies praeter solemnia, quae divino jussu celebrabantur. Compertum est enim, festum constitutum fuisse, quo triumphus de Holoferne, deque Assyriorum exercitu mirabiliter actus perpetuo memoraretur (2). Sacer item habebatur dies *Phurim;* idest sortium pro liberatione populi a caede, quam ei moliebatur Aman sub Dario Persarum rege (3). Ad recolendam quoque templi ab Antioco Epiphane jam polluti expiationem, universa Ecclesia Israel *Encaenium,* seu *diem dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo a quinta et vigesima die mensis Casleu cum laetitia et gaudio* fieri statuerat (4). Religioso pariter cultu,

(1) Quae circa Ecclesiae Catholicae festivitates diversis temporibus protulerint Ebionitae, Petrobrusiani, Wiclefitae, Waldenses, ac sexti decimi saeculi novatores fuse tradita legi poterunt apud Card. Bellarm. tom. 2. disput. Controv. 4. lib. 3. Cap. 10.

(2) Lib. Judith Cap. 16. v. 31.

(3) Lib. Esther Cap. 9. v. 21. 29. 31.

(4) Mensis Casleu, quo Eneaenia fiebat, nonus erat in anno

singulis recurrentibus annis, de Nicanore Demetrii duce interempto, Syrisque copiis ab Juda Machabaeo deletis agebatur memoria (1). Quae cum ita sint, rem paucis hac ratione concludamus. Divinus Servator, qui semel, iterumque inanes redarguit, ac superstitiosas traditiones adversantes legi, quas invexerant pharisaei, procul dubio et hujusmodi solemnitates reprehendisset, si eas nulla sibi propria auctoritate sanxisset Synagoga, et observari jussisset. Sed tantam criminationem judaeis nullibi legimus in Evangeliis objectam. Jure igitur potuit Synagoga dies sanctos, eorumque cultum indicere. Verum non minori auctoritate potitur Ecclesia Christi, quam Synagoga judaeorum gauderet: illa enim est *libera*, ut inquit Apostolus, haec autem in alterius comparatione *ancilla* nuncupatur (2). Jus ergo, quod ex dictis *ancillae* non deerat, eo magis *liberae*, hoc est, Ecclesiae Catholicae tribuendum.

§. CXV.

Si perquiratur, quo fine sacri solemnesque dies ab Ecclesia fuerint designati, nobis jam

ecclesiastico judaeorum. Vide lib. 1. Machabaeorum Cap. 4. v. 56. 59.

(1) Ad hoc festum designata fuerat tertia decima dies mensis Adar, scilicet Februarii, uti constat ex eodem lib. Machab. Cap. 15. v. 37.

(2) Ep. ad Galatas Cap. 4. v. 24. 30. 31.

praesto est auctoritas D. Augustini lib. 32. contra Faustum ita scribentis cap. 12. = Ea anniversarie in Ecclesia celebrantur, quae insigniter excellentia certis diebus facta sunt, ut eorum necessariam, salubremque memoriam festivitas concelebrata custodiat =. Idem S. Doctor confirmat hisce verbis lib. 10. de civitate Dei cap. 3: = Deo beneficiorum ejus sollemnitatibus festis, et diebus statutis dicamus sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio =.

Verum a generalibus ad peculiaria devenientes, singulatim de hisce solemniis, quorum par vetustas non est, nec mystica significatio, dicturi, principaliora saltem *sub brevitate transcurrimus, quatenus eorum expositio ita nescientibus fiat cognita, ut tamen scientibus non sit onerosa* (1).

De die dominico. Ad primaeva Ecclesiae tempora nobis conscendendum est, ut *diei dominici* exordium reperire valeamus. Sabbato namque judaeorum non amplius colendo (XXII) diem quemquam hebdomadae primum suffecerunt Apostoli, quem dominicum ideo appellitatum legimus, quia divinitatis honori fuit omnino dicatus. Festivitatem

(1) Ex D. Gregorio M. Homil. 13. in Evangelia operum tom. 1. edit. Paris.

hujusmodi apostolica institutione gaudere, colligitur e loco Joannis Apocalypsi cap. 1. v. 10. dicentis: *Ego Joannes fui in spiritu in dominico die* (1); eamque per saecula priora in toto orbe catholico semper observatam luculentissime testatur veterum Patrum universalis, constans, atque perpetua traditio (2). Cur autem haec dies potissimum delecta fuerit, rationes plures traduntur, quas omnes D. Leo Magnus disertis hisce verbis exponit: = In hac, *nempe dominica die*, mundus sumpsit exordium, in hac per resurrectionem Christi et mors interitum et vita accepit initium. In hac Apostoli a Domino praedicandi omnibus gentibus Evangelii tubam sumunt, et inferendum universo mundo sacramentum regenerationis accipiunt. In hac, congregatis in unum discipulis, ja-

(1) Hisce ex verbis idipsum inferunt PP. universim, inter quos Oecumenium, Primasium, et Anselmum citat Bellarminus ibidem Cap. 11. a quibus, neque discrepant, quamvis catholicis infensissimi Centuriatores Magdaburgenses.

(2) Studiosus lector, qui traditionem hac de re perpendere cupiat, inter Graecos PP. conferre poterit Ignatium M. ep. ad Magnesianos inserta in magn. bibliot. PP. Margarini da la Bigne initio tom. 11., Justinum M. in apologia 2., Athanasium oper. tom. 2. da Sabbatis, et Circumcisione, Origenem Homil. 7. in Exodum. E Latinis autem perlegat Hieronymum lib. 2. Comment. in Cap. 4. v. 10. Ep. ad Galatas, Augustinum lib. 2. ad Januarium Cap. 13; at lib. contra Adimantum Cap. 16. N. 3. Hilarium Pictav. Episc. prologo in lib. Psalm. N. 12; ac Tertullianum tum in Apologatico Cap. 16. tum in lib. de corona militis Cap. 3.

nuis clausis cum ad eos Dominus introisset insufflavit, et dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum detinueritis detenta erunt.* In hac denique promissus a Domino Apostolis Spiritus Sanctus advenit, ut caelesti quadam regula insinuatum, et traditum noverimus, in illa die celebranda nobis esse mysteria sacerdotalium benedictionum, in quo collata sunt omnia dona gratiarum = (1).

De festo natalis Domini. Inter Christianae Religionis mysteria, quae semel in anno recoluntur, illud principem locum obtinet, quo Flos sacratissimus ab Isaia praenuntiatus e radice jesse in temporum plenitudine germinavit (2); hoc est mirabiliter ex intemerata Virgine prodiit, Caesare Augusto imperitante, ac toto orbe pacato, Divinus humani generis Reparator. Perantiquam hujus celebritatis institutionem commemorat D. Chrysostomus, quam longe lateque in Ecclesia occidentali jampridem inolitam, dehinc saeculo quarto in orientem transmissam, ibique repente et undique miro quodam modo receptam fatetur (3). Trina Sacrificii oblatio,

(1) Haec habet S. Pontifex. ep. 81. ad Dioscorum Alex. Episcop. Cap. 1. sub fine.

(2) Isaiae Cap. 11. v. 1.

(3) Integra videatur Homilia in Servatoris natalem diem, ubi praecitatus Pater morem approbat Latinae Ecclesiae, quo tum temporis haec festivitas octavo calendas januarii, celebrabatur,

quae hoc Festo a Sacerdote perficitur, Magno Gregorio teste, à saeculo sexto invaluerat (1), ac triplicem nativitatem designare videtur. Prior aeterna est; verbi nimirum a Patre ineffabilis generatio, ob quam Unigenitus Dei Filius in symbolo Nicaeno dicitur: *ex Patre natus ante omnia saecula:* altera in tempore fuit, qua Sancti Spiritus virtute conceptum *Verbum caro factum est:* mystica posterior appellari potest, fitque per gratiarum dona, quibus interius homines renovantur, vitamque spiritalem acquirunt (2).

De festo Circumcisionis. Diem octavam, quae natalis Domini festivitatem consequitur, fideles antiquitus celebrare consuevisse, tum vetusta demonstrant occidentalis Ecclesiae martyrologia (3); tum D. Gregorii liber sacramentarius (4); tum codex Sacramento-

cum firmissime traderetur, ea die primum in terris Christum natum apparuisse.

(1) Id eruitur ex Homil. 8. in Evangelia, quam S. Pontifex ita exorditur: -- Quia, largiente Domino, Missarum solemnia ter hodie celebraturi sumus, loqui diu de Evangelica lectione non possumus —.

(2) Permulta, quae hic omittuntur visenda sunt apud Ludov. Thomassinum tract. de dierum fest. celebratione, Edmund. Martene de antiq. Eccl. ritib. lib. 4. Cap. 12; et Benedictum 14, — Trattato delle Feste di N. S. G. C. Cap. 17.

(3) In id cum Romano consentiunt Martyrologia Adonis Archiep. Viennen. et Usuardi Monachi, qui nono Ecclesiae saeculo ambo floruere.

(4) Liber sacramentarius, seu Sacramentorum D. Gregorii, quem eruditis notis inlustravit Ugo Menardus videri poterit initio tom. 3. oper. edit. Paris. an. 1705.

rum Ecclesiae Romanae Gelasio Pontifici, vel potius Leoni Magno tributus (1). Praeclaris hisce monimentis adjiciendus est Canon 17. Concilii Turonensis 2; in quo legitur: = Patres nostri statuerunt, privatas in calendis januarii fieri litanias, ut in Ecclesiis psallatur, et hora octava in ipsis calendis circumcisionis Missa Deo propitio celebretur = (2). Accedit Almachii historia, qui Theodosii tempore sub Alipio urbis Praefecto cum publice clamasset. Hodie octavae diei dominicae sunt: *cessate a superstitionibus idolorum, et a sacrificiis pollutis,* martyr gloriosus occubuit (3). Sacrum autem hunc diem haberi voluit Ecclesia, Puerique Jesus circumcisioni dicatum, ut Religionis causa fideles avocarentur a superstitiosis ethnicorum ritibus, lusibus, conviviis, turpibusque saltationibus, quae iisdem calendis in cultum Jani fieri solebant (4).

(1) Codicem hunc, quem an. 1751. Romae prelo consignavit V. Card. Thomasius oper. tom. 6. in tres libros partitum conspicimus: de illius porro antiquitate dubitandum non est; sive enim Gelasio idem adjudicetur juxta Thomasium, sive Leoni M; uti alii opinantur cum Basnagio, ad saeculum quintum necessario referendus est.

(2) Vide Labbeum in collect. Conciliorum ad an. 567. tom. 9. edit. florent. an. 1763.

(3) Ex praecitatis martyrologiis ad calendas januarias.

(4) Hujusmodi nefarias gentium consuetudines tum voce tum scriptis vehementer insectati sunt veteres Ecclesiae Patres, ac praesertim D. Augustinus Serm. 197. 198. de calendis januariis contra paganos, S. Maximus Taurinensis Episcopus Homil 16.

De Epiphania Domini. Nil aliud, quam apparitionem, graeca vox *Epiphania* significat: unde apparitio Domini saepe nomine *Theophaniae* a veteribus nuncupatur (1). In hac festivissima die, quae octavo idus januarii religiose colitur, tria memorantur, quibus mundo sui divinitatem Christus patefecit. Meminit siquidem Ecclesia, stellam ex oriente ad infantis Jesu cunabula magos perduxisse (2): meminit fluenta Jordanis per Christum baptisma suscipientem consecrata, vocemque Patris e Coelo dicentem: *Hic est Filius meus dilectus* (3): nuptiarum meminit postremo, quibus cum Ille adesset aquam in vinum convertit (4). Epiphaniam inter antiquissimas Christianorum solemnitates recensendam fore, prorsus non ambigimus, cum eam, ineunte saeculo quarto institutam no-

edit. rom. an. 1784; et S. Petrus Chrysologus, qui sermone 155. Ravennatem populum alloquens memorandam hanc protulit sententiam: — Qui jocari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo —.

(1) Vise Chrysostomi Homiliam 6. contra Anomoeos de B. Philogonio N. 3. tom; 1. oper. edit; an. 1718. pag. 497., item Graecorum Enchologion a Jacobo Goario Ven. edit. an. 1730. pag. 367; et 716., nec non Dominici Georgii adnotat. in Adonis Martyrolog. edit. Romae an. 1745.

(2) Ex Evangelio Matthaei Cap. 2.

(3) Ibidem Cap. 3. v. 17.

(4) Ex Evangelio Joannis Cap. 2. De hac triplici manifestatione legantur D. Bernardus serm. 1. de Epiphania, Ivo Carnotensis Episc. serm. de ead. solemnit; et Amalarius lib. 3. de Eccles. officiis Cap. 33.

scamus ex actibus S. Philippi Heracleensis Episcopi, qui tum temporis martyrii coronam promeruit (1).

De Paschate. Solemnes Paschales dies in novo Foedere cum exsultatione concelebrandi non exitum Israel de Aegypto, non transitum per mare rubrum, non Pharaonis interitum commemorant, sed portentum longe gloriosius, a quo spem futurae immortalitatis accepimus. Hisce namque diebus ea recolitur Sabbati vespera, qua triduo post cruciatus et mortem Christus resurgens inferorum contrivit imperium, cunctisque gentibus aditum sempiternae vitae reseravit. Dominicae resurrectioni, quae firmissimum est fundamentum cui innititur Christianorum Religio (2), ab Ecclesiae primordiis novum Pascha dicatum fuisse, constat ex D. Augustino, qui lib. 1. ad Januarium cap. 1. hujus festivitatis originem ab aevo apostolico deducit. Ad dies octo feriatos Paschae solemnitas olim producebatur (3); qui mos

(1) Ad annum Christi 504. refertur passio B. Philippi Heracleensis Episcopi, quem tom. 4. veterum analectorum Joannes Mabillonins vulgavit. Hujusmodi historiam subsidio codicis bibliot. Corbejensis in pluribus emendatam rursus edidit in suo opere de actis Martyrum Theodoricus Ruinartius Veronae an. 1731.

(2) De hoc solidissimo Religionis nostrae fundamento legatur praeclarum opns, quo Umfredus Ditton e Christi Domini resurrectione veritatem ipsius Religionis invicte demonstravit.

(3) Id colligimus ex Conciliis Matisconeuse 2. cau. 2. Trullano can. 66; Moguntiuo can. 36; et Meldensc can. 77.

diu pluribus in Ecclesiis servatus lapsu temporis paullatim obsolevit. Etsi porro ab initio Pascha Domini sanctissimum foret quocumque se se diffuderat Ecclesia; in eo tamen discrimen habebatur, quod plures Asiae Episcopi vestigiis insistentes Joannis Apostoli, Philippi Diaconi, Polycarpi Martyris, aliorumque virorum, qui ibidem sanctitate fulserant, paschale festum luna 14. mensis Nisan peragerent more Judaeorum (1): illud vero contra ad subsequens tempus ceteri tum in occidente universim, tum etiam alicubi in oriente studiosissime differrent. Ex hac disciplinae varietate Quartadecimanorum emersit controversia, quae dire exagitavit Ecclesiam. Secundo namque saeculo exeunte, Asiatici Praesules, concilio, cui praefuit Polycrates Ephesinus Antistes, coacto, missisque Romam epistolis, cum occidentalium consuetudinem oppugnassent, eorum ausibus pro munere viriliter obstitit Summus Pontifex Victor (2). At, partibus nondum com-

(1) Luna 14. est quarta decima dies mensis lunaris Martii, a quo annus ecclesiasticus apud Hebraeos ordiebatur, uti indicavimus §. LXXXVIII. Institution.

(2) De hac controversia consulantur Eusebius Hist. Ec. lib. 3. Cap. 23. 24. 25; D. Hieronymus lib. de viris illustribus Cap. 35., et 45. oper. tom. 2. part. 2. ed. Vallarsii, Natalis ab Alex. Hist. Ec. saec. 2. dis. 5; Tillemontius Memoires pour servir a l' Hist. Eccles. tom. 3. tit. S. Victor Pape; et Card. Orsius Hist. Eccl. lib. 5. a N. 8. ad 12.

positis, rem demum ad finem perduxit Magna Synodus Nicaena decernens, ut, juxta canonem Apostolorum octavum (1), juxtaque praxim ab universa fere Ecclesia per quatuor saecula fidissime observatam, dominica die proxime sequente lunam 14. primi mensis post vernum aequinoctium ubique terrarum Pascha celebraretur, ne quid nobis commune foret cum Domini interfectoribus et parricidis judaeis (2).

De Christi in Coelum adscensu. Quadragesimum a paschali festivitate diem, quem *Tetracosten* orientales appellant, mirabilis Christi Domini in coelum assumptio praeclarissimum reddidit. Jam post resurrectionem Divinus hic mortis ac inferorum Triumphator pluries, pluribusque, uti referunt Evangelistae, sese conspicuum ostenderat (3); jam discipulis trepidantibus visenda, immo et tangenda praebuerat sui corporis vulne-

(1) Citatus canon cum cateris 50. ax interprat. Dionysii axigui tum in codice canonum Francisci Pithoei, tum in Labbeanae collectionis tom. 1. reperitur.

(2) Epistola Synodica Nicaenorum Patrum ad Ecclesiam Alexandrinam, ceterosque orthodoxos Aegyptum incolentas, Pentapolim, et Lybiam circa Paschae celabrationam refertur a Galasio Cyziceno in commentario actorum concilii Nicaeni. Praeter hujusmodi commentarium videatur insuper Constantini Imperatoris vita ab Eusebio conscripta lib. 3. Cap. 18. et 19: item Historia Eccles. Socratis lib. 1. Cap. 9. ac Theodoreti lib. 1. Cap. 10.

(3) Matthaei Cap. 28. v. 17.

ra, clavorumque vestigia (1); jam de regno Dei loquutus magna iisdem revelaverat mysteria, magna confirmaverat Sacramenta (2): cum tandem Hierosolymam linquens, Bethaniam prius, dein ad Oliveti clivum perrexit. Ibi interim cum adstantes discipulos benedixisset, in altum conscendens ab oculis eorum sensim evanuit, nubeque lucida circumfulsus ad Superna perpetuo regnaturus virtute propria migravit (3). Haec, quae obiter descripsimus, admirans D. Bernardus sermone 2. de hujusmodi solemnitate N. 1; in ea, inquit, *et singularis Christo gloria, et nobis specialis laetitia exhibetur: consummatio enim, et adimpletio haec est reliquarum solemnitatum, et felix clausula totius itinerarii Filii Dei.* Cur autem inde oritur tantae nobis causa laetitiae? Quia *adscensio Domini glorificatio nostra* (4). Cur glorificatio nostra? Quia *naturae nostrae humilitas in Christo super omnem Coeli militiam, super ordines Angelorum, et ultra omnium altitudinem potestatum ad Dei Patris est provecta consessum* (5). Haec porro gloriae

(1) Joannis Cap. 20. v. 25. Lucae Cap. 24. v. 39. 40.

(2) Actuum Ap. Cap. 1. v. 3.

(3) Lucae Cap. 24. v. 50. 51. Actuum Ap. Cap. 1. v. 9.

(4) Ita D. Augustinus serm. 261; qui primus est in die Adscensionis Domini Cap. 1.

(5) Hanc rationem affert D. Leo M. serm. 2. de ead. festivit. Cap. 1.

simul ac laetitiae festivissima dies quantum a tota antiquitate in honore fuerit, disertissimi veterum Patrum sermones apprime demonstrant, nec non Apostolicae Constitutiones Clementi Romano attributae (1).

De Pentecoste. = Sicut Hebraeo quondam populo ab Aegyptiis liberato quinquagesimo die post immolationem agni lex data est in monte Syna; ita post passionem Domini, qua verus Dei Agnus occisus est, quinquagesimo a resurrectione Ipsius die in Apostolos plebemque credentium Spiritus Sanctus illapsus est, ut facile diligens Christianus agnoscat, initia veteris Testamenti Evangelicis ministrasse principiis, et ab eodem Spiritu conditum Foedus secundum, a quo primum fuerat constitutum =. Haec scribit D. Leo M. de prodigiis disserens, queis contigit legis Evangelicae promulgatio (2). Quae divini amoris prodigia, ut fidelium defixa mentibus perpetuo manerent, diem Pentecostes sacrum solemnemque voluit Catholica Ecclesia. Quid vero de tantae festivitatis antiquitate sentiendum? Res pla-

(1) Inter Patres, quorum generatim heic adducimus testimonium, videantur praeter super memoratos Gregorius Nyssenus, Chrysostomus, et Maximus Taurinensis Episcopus. Adeat quoque studiosus lector Cap. 18. lib. 5. Constitutionum, quae sub nomine veniunt Apostolorum, quaeque tom. 1. Labbeanae collect. editae reperiuntur.

(2) Sermone 1. de Pentecoste Cap. 1.

ne constabit, si veterum opera volvantur. Certum enim est, hanc plurimos Patres summis praeconiis celebrare (1): hanc pariter Apostolorum constitutiones praecipiunt (2): hanc toto terrarum orbe a suis temporibus observatam D. Augustinus testatur (3): hanc nullibi demum a Conciliis Oecumenicis primum institutam agnoscimus. Unde merito absque haesitatione inferendum, ab Apostolica institutione festum Pentecostes, quod colimus, proficisci.

De festo SS. Trinitatis. Quamquam aliquibus in regionibus, ac praesertim in Galliis ante saeculum nonum Sacrosanctae, et Individuae Trinitatis honori dicata fuerit octava dies post Pentecosten; nihilo tamen secius hunc morem per ea tempora nondum Romana susceperat Ecclesia. Compertum id habemus ex cap. *Quoniam tit. de feriis*; cujus Decretalis auctor juxta saniores criticos fertur Alexander II; qui nonnisi post medium saeculum undecimum Summum Pontificatum

(1) Praeter M. Leonem jam citatum inter Latinos indicare sufficiat Tertullianum lib. de Idololatria Cap. 14; Hieronymum Ep. ad Marcellam de erroribus Montani, Maximum sermonibus de tempore, et Gregorium M. Homilia 30. in Evangelia. E graecis pro re nostra memorandi sunt Origenes lib. 8. contra Celsum, Basilius lib. de Spiritu S. Cap. 27. Chrysostomus tom. 2. op. Hom. 1. et 2. de hac solemnit., et Damascenus Carmine de Pentecoste.

(2) Vide lib. 5. Apost. Constit. Cap. 19.

(3) Vide lib. 2. ad Januar. pluries cit.

obtinuit (1). Verum cum latius pedetentim haec solemnitas extendi coepisset (2); in universa tandem Ecclesia eamdem fieri Joannes XXII. quarto decimo saeculo constituit (3). Neminem exinde latet, venerandae Trinitatis festivitatem, prouti hodieque colitur, inter recentiores connumerari.

De festo Corporis Christi. Ad feriam quintam in coena Domini pertinet quidem institutionis Eucharistiae commemoratio, quo tempore ineffabile hoc Sacramentum Christus antequam traderetur perfecit. De Illa item assidue religiosa fit mentio, quoties in Sacrificio Altaris Deo Patri Agnus immaculatus offertur. Ad hoc tamen, ut peculiari quadam ratione fideles Redemptoris divinitati simul ac humanitati cultum saltem quotannis exhiberent, sub tertii decimi saeculi initio Urbanus IV. Festum Sacratissimi Corporis Christi feria quinta Pentecostes octavam proxime consequenti celebrari praecepit (4). In hac Urbani constitutione, quam

(1) Vide Edmundum Martene de antiquis Ecclesiae ritibus lib. 4. Cap. 28. N. 22.

(2) De hac re testem habemus Rupertum Ab. lib. 11. de divinis officiis Cap. 1.

(3) Consulantur Thomassinus tract. de Festis lib. 2; Ciacconius in vita Joannis 22; Pagius in Breviario Rom. Pontif. tom. 4; ac potissime Benedictus XIV. lib. 4. de Serv. D. beatificatione parte 2. Cap. 31. N. 1. et 2.

(4) Epistola encyclica ejusdem Pontificis sub N. 19, extat in Bullario tom. 2. ad an. 1264.

rursus Clemens V. firmavit in Oecumenico Viennensi Concilio, id factum esse declaratur, = ut vivificum Sacramentum Corporis, et Sanguinis J. C., qui est sanctorum omnium gloria et corona, festivitate ac celebritate perfulgeat speciali; quatenus in eo quod in aliis Missarum officiis circa solemnitatem est forsitan praetermissum, devota diligentia suppleatur, et fideles festivitate ipsa instante, intra se praeterita memorantes, id quod in ipsis Missarum solemniis...... ex negligentia vel fragilitate minus plene gesserunt, tunc attente in humilitate spiritus et animi puritate restaurent = (1). Hisce, quae praecipuis conveniunt Christianae Religionis mysteriis, pro temporum ordine festivitatibus recensitis accedunt et aliae solemnitates in Deiparae, Sanctorumve honorem dicatae; de quibus tamen agendum libro Institut. 3; ubi pro munere de Religione disputabimus.

§. CXVI.

Ecclesiae praeceptum de Festorum observantia gravem inducere obligationem ex (§. XLIII. anim. 2.) manifestissime apparet.

(1) Jam liquet e superius traditis quantum a vero desciverint Magdeburgenses temere autumantes Cent. 2. Cap. 6. in solemnitatibus Catholicorum antiquitatem institutionis, Paschate excepto, desiderari.

Illud autem nos urget apprime, quatenus *affirmativum* est, ut dies sacros pie sancteque transigere studeamus. Quod quidem ut fieri contingat, Christifideles divinis mysteriis reverenter die festo interesse debent, orationi frequenter ac sedulo incumbere, sacras exaudire conciones, reficere inopes cum possint, moerentes consolari, aliaque id generis officia caritatis obire, in quibus sita est munda et immaculata Religio (1). A Summis Pontificibus Gregorio M; Nicolao I; et Benedicto XIV. amussim hanc doctrinam excerpsimus. Eorum enim prior alloquens Romanos ait: = Dominico die a labore terreno cessandum est, atque omni modo orationi insistendum, ut si quid negligentiae per sex dies agitur, per diem Resurrectionis dominicae precibus expietur = (2). Alter in responsis ad consulta Bulgarorum haec scribit cap. 11. = Idcirco in diebus festis ab opere mundano abstinendum est, ut liberius ad Ecclesiam ire, psalmis et hymnis insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministra-

(1) Verba haec sunt D. Iacobi epistolae Cathol. Cap. 1. v. 27.
(2) Vide epistolam 1. D. Gregorii ad Romanos cives, Epistolarum lib. 13.

re valeat Christianus = (1). Decernit tandem postremus in suis ecclesiasticis Institutionibus = Dei voluntati non satisfacere qui solum dierum festorum in eo celebritates constituit, ut rei divinae intersit, et a servilibus operibus abstineat; non vero contendit omni studio, ut Deo cultum exhibeat, nec ulla peccati labe per dies festos inquinetur = (2). Idipsum peraeque docent, tum Gallicana plura Concilia (3), tum Synodus Provincialis Mediolanensis 3. sub D. Carolo Borromaeo celebrata (4), tum Catechismus Concilii Tridentini parte 3. cap. 4. N. 25.

§. CXVII.

Quemadmodum die Sabbati abstinentiam a quovis opere servili judaeis imperabat Lex Decalogi (§. LXXXVI.); haec item opera Christianum populum die dominico exercere vetat Ecclesiae Catholicae praeceptum de Festorum sanctificatione. Circa obligationem

(1) Nicolai Responsa, quibus non semel utemur, in tom. 15. reperiuntur collect. Concil. apud Labbeum, quam pluries citavimus.

(2) Ita scribit immortalis Pontifex Bened. XIV. Institut. 43. N. 14; eademque confirmat constitut. 60., cujus initium -- Nihil profecto -- §. 1., et constit. 144. -- Ab eo tempore -- §. 17; uti apparet ex ipsius Bullario tom. 1.

(3) In Concilio Turonense an. 813., in Burdigalense et Remense an. 1583; in Aquense an. 1585. hanc doctrinam legimus pluribus sanctionibus roboratam.

(4) Vide in actis Eccl. Mediol. concil. Provinc. 3. tit. 1. de festorum cultu.

hujusmodi praecepti *negativi* plura interdum invicem pugnantia tradunt Ethicae Sacrae scriptores. Nos vero, dissidiis neglectis, opera *servilia* et *quasi servilia* a *liberalibus* distinguentes, rem totam sic paucis absolvimus.

Animadversiones quoad opera *servilia.*

Servile dicitur opus, quod servorum proprium est, quodque praecipue in actione corporis consistit (1). Indubitanter ergo ad hoc referuntur genus tum ruris opera tum artium mechanicarum exercitium. Hinc

Consequitur 1; nefas esse die festo serere, fodere, plantare, ceteraque hujusmodi gerere ad agrorum culturam pertinentia (2).

Consequitur 2; nec opus fabrile, carpentarium, caementarium, pictorium, sculptile, sutorium, textorium, vel acuptibile tum temporis licere (3). Quae cuncta, quamvis absque mercedis intuitu, quamvis recreationis causa tantummodo fierent vel ad otium evadendum, haudquaquam tamen cum Festorum sanctificatione componi possent; semper enim servilia sunt, quia finis agentis naturam operis immutare non valet.

(1) Vide D. Thomam 2. 2. Quaest. 122. art. 4. ad 3.

(2) Praeter canones Conciliorum Aurelianensis 3., Cabilonensis, et Arelatensis 6. consulantur D. Antoninus parte 2. tit. 9. Cap. 7., D. Raymundus lib. 1. Sum. Theol; et Benedictus XIV. Instit. 45. N. 10. et 11.

(3) Haec in Synodis Aquisgranense, et Meldense jam a saec. 8. et 9. minutatim descripta ac vetita conspicimus tamquam a diebus feriatis penitus aliena.

Animadversiones quoad opera *quasi-servilia*.

Alia sunt opera, non quidem proprie *servilia,* sed in jure tum ecclesiastico tum civili festivo tempore interdicta: quae, cum diem sacrum maxime dedeceant, atque a divino cultu retrahant fideles, merito *servilibus* aequiparantur.

Haec inter 1. *forenses actus* recensentur, de quibus ita scribit S. Pontifex Gregorius IX. lib. 2. Decretalium tit. 9. cap. 5. *Quamvis non prorogari, sed expediri deceat quaestiones, debet tamen judicialis strepitus diebus conquiescere feriatis, qui ob reverentiam Dei noscuntur esse statuti.* Idipsum decernit S. Pius V. Const. *Cum primum*, jubens, ut *diebus dominicis judiciorum strepitus conticescant* (1). Neque tandem in hoc dissentiunt Capitularia Regum Francorum, quibus *placita publica* die festo fieri prohibentur (2).

2. *Publicas quoque nundinas,* rerumque venalium *mercatus* utpote Festorum sanctificationi adversantes semper vetuerunt Ecclesiasticae leges. Verum hoc abusu, qui jam-

(1) Videatur §. 7. cit. constit; quae sub N. 9. inter Piana, refertur in tom. 4. parte 2. Bullarii Romani.

(2) Sanctionem hanc reperimus in Capitulari 1. anni 813. Capitulo 15. tom. 1. edit. Venet. ann. 1772. cum notis Stephani Baluzii.

diu inoleverat (1), adhuc perseverante, cum leges hujusmodi ut plurimum effectu carerent, Benedictus XIV. nonnullorum Episcoporum instantiis commotus rem definiendam suscepit. Is itaque sedulo perspiciens, quid circa *nundinas* et *mercatus* illustriora decreverint Concilia, quid pluries Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini pronunciaverit, quid tandem varie senserint Theologi, Jurisque Ecclesiastici interpretes: omnibus, uno verbo, auctoritatum et rationum momentis ultro citroque libratis, quaestionem explanat, concludens cit. Constit. 144. §. 16. *Mercatus et nundinas diebus festis non licere*. At *quoniam*, subdit consultissimus Pontifex, *malum hoc universale est, ac alte radices egit, opus est prudentia et maturitate, ne fructu careat medela, ac vulnus exasperet: quod possumus exigendum est, non quod optamus*. Quocirca mercatum inter et nundinas apprime distinguit. Deinde innixus tum Juris auctoritati *Cap*. 1. *de Feriis*, tum Pianae Constitutioni 9; tum praefatae Congregationis decretis, quae confirmat, sermonem ad Episcopos ita convertit ibidem §. 22. *Omnem dubitandi ansam praecidentes, vobis per haec apostolica scripta*

(1) Pravam consuetudinem, de qua hic agitur jam saeculo 4. inductam noscimus ex D. Basilii operibus in Regula Monach. interrogatione 40.

mandamus, ne in dioecesium vestrarum urbibus, et locis mercatus fieri festis diebus patiamini. De *nundinis* autem secus ille disserit, pluribusque indulgendi causis in medio prolatis, eae tolerandae sibi videntur, *ne pejora contingant absurda* (1).

3. Item inverecundae *choreae, torneamenta, circenses ludi, theatrorum scenae,* ceteraque profana ethnicorum spectacula, in quae tam saepe calamum acuere Patres, diebus festis potissimum interdicta fuere (2). Et merito quidem: tanta enim eorum foeditas erat, tanta crudelitas, ut a christiana virtute haec forent penitus aliena, Festorumque sanctificationi magis quam opera servilia adversarentur (3).

4. Tandem *venari* seu *piscari,* quamvis ex communi sententia opus servile non censeatur; si tamen ex officio, si ad lucrum captandum, si cum apparatu haec fiant exer-

(1) Videatur eadem Constit a §. 25. ad 29.

(2) Haec spectaculorum genera omnino proscripta conspicimus tum in cod. Theodosiano leg. 2. tit. 5. lib. 15, tum in Conciliis Toletano 3. an. 589; Mediolanense 3. an. 1573; Turonense an. 1583; Bituricense an. 1584; tum in constit. 60. — Nihil profecto —, quam Bened. XIV. edidit anno sui pontificatus II. ad ludorum froenandam licentiam, qui priscam lupercalium turpitudinem renovantes alicubi in Italia diebus festis invaluerant.

(3) Exinde nonnisi per absurdum deduceretur, quemlibet theatrorum usum feriato die ab Ecclesia reprehendi. Ad ea quippe leges ecclesiasticae profecto non sunt referendae, si in ipsis imperium obtineat morum honestas, vitiorumque incitamenta pro viribus removeantur.

citia, neutrum ex hisce, utpote *quasi servile,* die festo licere existimandum est (1).

Verum apparatu quovis, et clamore secluso, ad animi recreationem si die sacro quis venando aut piscando se se modico tempore exerceat, rigidiorum etiam scriptorum suffragio consentiente, non videtur culpandus.

Animadversiones quoad *opera liberalia.*

Actiones plurimae sunt, quae suapte natura ad animum excolendum vel oblectandum ordinantur. Ad eas praesertim attinent lectio, scriptio, studium, cantus, instrumenti musices pulsatio: quae cuncta nec servilia proprie dici queunt, nec pro servilibus haberi, cum neminem lateat, prae corporeis viribus facultates mentis in iisdem exerceri. Quoniam autem potius homini libero, quam servo ejusmodi opera convenire dicuntur; hinc vulgo *liberalia* nuncupari solent, ut a ceteris distinguantur. Haec interim si festiva die perficiantur, Ecclesiae praeceptum nequaquam infringitur; nam, ut inquit Angelicus 2. 2. Quaest. 122. art. 4. ad 3. = nullius spiritualis actus exercitium est contra observantiam Sabbati: puta si quis doceat verbo, vel scripto =. Ita communi calculo

(1) Consulantur Sylvius comment. in D. Thom. 2. 2. Quaest. 122. art. 4. Suarezius de Relig. tom. 1. lib. 2. Cap. 28; et Bened. XIV. De Syn. Dioec. lib. 13. Cap. 18. N. 10.

Theologi sentiunt, docentes tamen, operum liberalium exercitium adeo moderandum fore, ut intra debitos temporis fines contineatur, neque festorum sanctificationem impediat.

§. CXVIII.

Interim quid de peccato dicamus? Num die festo vi peculiaris praecepti vitandum illud erit tamquam opus servile? Eo autem admisso, circumstantia temporis sacri novam ne superaddit moralitatis speciem in Confessione aperiendam? Haec controversia, de qua totis utrinque lacertis dimicarunt scriptores, circa lethalem culpam unice versatur; cum una mente consentiant omnes, diem Domini veniali haud unquam violari noxa, quae ob sui levitatem nec hominem a Deo removet, nec festorum sanctitati repugnat. Quid vero pro sua causa quisque hinc inde proferat, quibusnam innitatur fundamentis, breviter investigemus.

Affirmantem propositae quaestionis partem defensant ex antiquioribus graves pluresque doctores, ac prae ceteris Antoninus, Bonaventura, et Angelicus (1). Horum sententia

(1) Consule D. Antoninum Sum. Theol. part. 1. tit. 14. Cap. de Decalogo §. 4. et part. 2. tit. 9. Cap. 7. de negligentia festorum; D. Bonaventuram tom. 7. oper., opusc. cui titu-

validis fulcitur Sanctorum Patrum auctoritatibus. Pro iis namque stare videtur in primis D. Gregorius Nyssenus Homil, 7. in Ecclesiasten dicens: = Quaerendum est ergo, quid sibi velit praeceptum otii Sabbati? Ut nihil agamus illorum, quorum opus est vitium =. Eisdem favet Isidorus Pelusiota, qui Epistola 565. ait: = Caedes et homicidium execrabile scelus est, quis neget? Cum tamen festis ea patrantur diebus fit execrabilius.... ipso malo a temporis circumstantia deteriore reddito et graviorem exinde castigationem promerente =. Accedit pariter D. Augustinus, qui lib. de decem chordis serm. 9. cap. 3. haec scribit: = Melius faceret Judaeus in agro suo aliquid utile, quam si in theatro seditiosus existeret: et melius feminae eorum die Sabbati lanam facerent, quam quod tota die in Neomeniis suis impudice saltarent =. Clarius adhuc suam mentem hisce verbis aperit ipse S. Doctor tractatu 3. in cap. 1. Evang. Joan. N. 19, = Spiritualiter observat Sabbatum Christianus abstinens se ab opere servili. Quid est ab opere servili? A peccato. Unde probamus? Dominum interroga: *Omnis, qui facit peccatum servus est peccati* = (1). E jure

lus *Confessionale* Cap. 2. partic. 11. et 21; ac tandem D. Thomam 1. 2. Quaest. 7. art. 1. ad 1. et 2. 2. Quaest. 122. art. 4. ad 3.

(1) Ex Evang. Joannis Cap. 8. v. 34.

quoque ecclesiastico tutamen deducunt affirmantis sententiae patroni. Habetur enim cap. 1. de Feriis: = Omnes dies dominicos cum omni veneratione decernimus observari, et ab omni illicito opere abstinere =. Item, can. 1. distinct. 5. cum disseratur de circumstantiis tum loci tum temporis sacri, quo fornicationis scelus fuerit patratum, concluditur: = Omnis ista varietas confitenda est ac detestanda =.

Haec tamen plerisque nullum negotium facessunt, qui, veterum opinione rejecta, contrariam doctrinam cum Bellarmino non levibus momentis adstruere conantur (1). Primum itaque animadvertunt, nullum peculiare mandatum existere, quo fideles per diem festum a peccatis abstinere teneantur. Extat equidem praeceptum, quo quaevis opera servilia prohibentur; verum peccata, ut ut enormia, improprie tantum, metaphorice, mysticė dici poterunt servilia, proprie tamen inter opera servilia connumeranda non sunt. Ea igitur non respicit hoc praeceptum, nam leges non figurate, sed proprie sunt intelligendae. Concedunt sane fini prae-

(1) Videatur Bellarminus de cultu SS. lib. 3. Cap. 10., cui adhaerent Suarezius t. 1. de Religione lib. 2. Cap. 18. N. 3., Card. de Lugo de poenitentia dist. 16. N. 116; Alphonsus de Ligorio theol. mor. lib. 3. tract. 3. Cap. 1. dub. 1. N. 273., aliique complures.

cepti, cultui scilicet divino, adversari peccatum, et magis profecto, quam opus servile: at opponunt, finem legis sub speciali praecepto non cadere, nisi id expresse jubeat Legislator. Eludunt autem testimonia, quae jactant eorum adversarii, docentes vel in iis peccatum mystico sensu opus servile appellari, vel agi solum de fine praecepti, cui peccatum obstare non diffitentur. Sed invicem hac de re pro lubitu pugnent qui contentionibus laetantur. Id unum pro certo ponimus, quod, etiamsi e circumstantia temporis sacri, in qua lethaliter delinquitur, nulla peccati species adversus Religionem exoriatur; haec circumstantia nihilominus, nec ipso dissentiente Bellarmino, culpam efficit deteriorem. Quapropter si tamquam colubri facies praecavendum semper est peccatum, ne ab amore Dei sejungamur, quo magis vitandum illud erit, cum rerum divinarum studio vacare debemus.

§. CXIX.

Cum Lex Mosis arctam Sabbati custodiam praeciperet, plura judaeis prohibebantur, quae sub lege gratiae et amoris christiano populo indulget Catholica Ecclesia. Haec siquidem hominis infirmitati prospiciens, quantumvis festivo tempore vetet opera servilia, persaepe tamen quaedam licet servilia

pro circumstantiis fieri concedit, dummodo graves occurrant ac justae causae a transgressione praecepti excusantes. Quae causae sunt *consuetudo, pietas, charitas, publica utilitas, atque necessitas*.

1. Itaque ob *consuetudinem* legitime inductam emptio ac venditio diebus feriatis toleratur eorum, quae parvi sunt momenti, quaeque praesertim usu quotidiano absumuntur. Idipsum de operibus dicendum, quae ad vitae alimoniam spectant, cultumque personae, sicuti foret cibos parare, lustrare comam, capillos vel barbam detondere, nisi per haec impediatur debita festorum sanctificatio (1).

2. Item die festo *pietas* erga Deum licita reddit opera servilia proxime ad Ejus cultum pertinentia, ut exornare templum, aras instruere, aliaque divinorum mysteriorum celebrationi accomodata disponere. Sic pietatis ergo in antiquo etiam foedere ligna Sabbato caedebantur pro sacrificiis, fovebatur ignis, aqua deferebatur: neque tamen exinde judaeorum sacerdotes criminis insimulari poterant, quemadmodum testatur Christus in Evang. Matthaei cap. 12. v. 5.

3. Tempus sacrum nec violatur opere ser-

(1) De hac legitima consuetudine, vi cujus abrogatio, vel derogatio in lege contingit, recolantur quae diximus pag. 165. et sequent.

vili, si *caritatis* munus erga proximum sit necessario exercendum; nempe si agatur de infirmis curandis, vel de pharmaco pro iisdem elaborando. Luculentissimum hac de re nobis exemplum Divinus perhibet Sospitator, qui, cum aridam habentem manum die Sabbati mirabiliter sanasset, murmurantes pharisaeos sic paucis revicit Matthaei eod. cap. v. 11. *Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, et si ceciderit haec Sabbatis in foveam, nonne tenebit, et levabit eam?*

4. Communis quoque *utilitatis* causa nonnunquam diebus festis opera servilia permittuntur; *Sabbatum enim propter hominem factum est, et non homo propter Sabbatum* (1). Id porro intuitu publici boni non semel a Romana Sede noscimus concessum, ac praesertim ab Alexandro III; Sixto V; et Clemente XI., quorum auctoritate quibusdam populis prope mare degentibus mane, audito Sacro, et post meridiem dominicis diebus data fuit, vel confirmata piscandi facultas (2).

5. Tum denique urgere dicitur sive publica sive privata operandi *necessitas*, cum nonnullae actiones praetermitti vel differri nequeant absque gravi rerum jactura, vel

(1) Ex Evangelio Marci Cap. 2. v. 27.

(2) Videatur Constitutio 144. super memorata Bened. XIV; nec non lib. 13. de Synodo Dioecesana Cap. 18. N. 10.

detrimento personae. De hac necessitate disserens Angelicus 2. 2. Quaest. 122. art. 4. ad 3. inquit: *Opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum non violat Sabbatum.* Hinc diebus sacris fas omnino erit messem e solo divellere, vindemiam colligere, agrorum fructus alicubi transferre ob impendens tempestatis periculum vel hostilis incursus. Cavendum porro, ne urgens haec necessitas voluntario ac studiose sit conquisita; secus cederet in fraudem legis, nec ideo a culpa defenderet (1). Quae fraus ut vitetur, necesse est, ingruentem necesitatem agnosci ac probari ab Ecclesia, cujus est, locorum attenta consuetudine, judicare, ac veniam congruentem, si deceat, elargiri (2).

ARTICULUS SECUNDUS

De audiendi Sacri praecepto.

§. CXX.

Quoniam inter actus religionis princeps, ac praestantissimus omnium ille est, quo

(1) Ita ex Benedicto XIV. Institut. 65. N. 16., cujus doctrinae apprime concinunt quae decreverat Nicolaus V. dicens: — necessitate cogente, non tamen affectata, seu procurata, licitum esse opus servile exercere —. Vide responsa, quae Transilvanis Saxonibus dedit Nicolaus an. 1447. apud Odoricum Raynaldum in annalib. Eccles.

(2) De causis ab opere servili die festo excusantibus praeter

immaculatus Dei Agnus in Sacrificio Altaris offertur, immolatur, et sumitur; hinc apprime jubet Catholica Ecclesia, ut Missa festivo tempore semel a cunctis fidelibus audiatur. Neque sane de maxima hujus praecepti obligatione dubitandum est: hoc enim si quis transgrediatur, alterum in re gravi praeceptum infringit de festorum sanctificatione, cujus violationem a lethali culpa excusari non posse Innocentius XI. decrevit (1). In re tanti momenti concors est TT. omnium doctrina, qui jure cum D. Antonino ab audiendi Sacri munere neminem solutum censent, cum ad usum rationis pervenerit; qua aetate scilicet vim praecepti dignoscere, eique humano modo satisfacere quisque valet (2).

§. CXXI.

Verum huic praecepto nunquam rite satisfiet, nisi divinum Sacrificium *totum et integrum* Christianus populus exaudiat. Id perspicuum omnino est ex Gratiani decreto de *Consecratione distinct.* 1., ubi haec referuntur: *Missas saecularibus totas audire die*

loca sup. cit. consuli poterunt D. Raymundus lib. 1. Summae, D. Antoninus parte 2. tit. 9. Cap. 7. §. 5; et Catech. Conc. Trid. parte 3. Cap. 4. N. 22. et 23.

(1) Vide Institutionum §. CXVI., et LXIII. animad. 2.

(2) Ita prae ceteris D. Antoninus docet Sum. Theolog. parte 1. tit. 9. Cap. 10. de negligentia circa divina §. 2.

dominico speciali ordine praecipimus, ita ut populus ante benedictionem Sacerdotis egredi non praesumat. De hujusmodi integritate cum in praesens agatur, sequentia adnotare juvabit.

1. Adeo strictim sumenda non est haec Missae integritas, quam praecipit Ecclesia, ut noxa lethalis habeatur quaelibet etiam levis omissio. *Modicum* namque *pro nihilo reputatur, nec verba legis ita amare interpretanda sunt* (1).

2. Defectus integritatis ad gravem culpam tum tantum perveniet, cum circa notabilem Sacrificii partem omissio versetur. At quaenam pars notabilis appellabitur? Id e rei qualitate potius, quam a tempore decernendum. Etenim, ut exemplis utamur, Consecratio brevi quidem perficitur: sed nihilominus hanc notabilem fore partem quis neget, cum in eadem potissimum Sacrificii essentia consistat?

3. Ad Missae integritatem non sufficit pluribus Sacrificiis *conjunctim* ex parte interesse; Missa quippe est totum e successivis partibus coalescens. Unde merito ab Innocentio XI. proscripta fuit haec absurda propositio: = Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro qui duas ejus partes,

(1) Vide sis ejusdem Doctoris Summam Theolog. sup. cit. §. 1.

imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit =.

4. Idem plane affirmamus etiam, si una ex iisdem partibus alteram consequatur. Assertae veritatis rationem affert clarissimus Petrus Ballerinius dicens: = Non satisfaceret qui duas vel plures partes a pluribus audiret..... *successive*,... quia pars unius Missae moraliter non coalescit ad perficiendum Sacrificium cum altera parte Missae Sacerdotis alterius: partes enim diversarum Missarum cum ad se se invicem non ordinentur, nec communicent inter se, sed disjunctae maneant, unum Sacrificium ac Missam unam integram non conficiunt (1).

§. CXXII.

Ad Sacrum, prouti decet, audiendum plures in fidelibus animi simul et corporis requiruntur dispositiones.

Respectu animi prae primis necessaria est sedula mentis attentio, piusque cordis affectus erga divina mysteria, quae in Missa peraguntur (2). E Tridentino Concilio erui-

(1) Ita scribit citatus Auctor in adnotat. ad Summam Th. D. Antonini parte 2. tit. 9. Cap. 10. adnotatione 5.

(2) Ex iis pseudo-theologis, qui virtutis callem plus aequo floribus conspergunt, nonnullos asserere non puduit: — Praecepto Ecclesiae de audiendo sacro satisfieri per reverentiam exteriorem tantum, animo licet in aliena, imo et prava cogitatione voluntarie defixo —. Propositionem id generis ceu temerariam,

tur haec doctrina (1), Sanctorumque Patrum auctoritate munitur, quorum instar sint nobis M. Cyprianus et Chrysostomus. Prior enim lib. *de oratione dominica* inquit: = Quando autem stamus ad orationem, vigilare et incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis, et saecularis abscedat, nec quidquam tum animus, quam id solum cogitet quod precatur. Ideo et Sacerdos ante orationem, praefatione praemissa, parat fratrum mentes, dicendo *Sursum corda,* ut dum respondet plebs, *habemus ad Dominum,* admoneatur, nil aliud se, quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adversarium pectus, et soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur =. Alter vero Homil. 9. de Poenitentia haec habet: = Quid facis homo? Nonne promisisti Sacerdoti, qui dixit: *Sursum* mentem et *corda*, et dixisti: *habemus ad Dominum?* Non revereris, et erubescis, quod illa ipsa hora mendax inveniaris = ? (2).

scandalosam, erroneam ac impietati faventem an. 1700. Clerus Gallicanus rejecit.

(1) Vide Sessionem 22. in decreto de celebratione Missae.

(2) Rigidiorum opinio fuit, in eo qui Missam audit, non modo quae supra diximus, sed justitiae quoque statum adeo necessario requiri, ut novo scelere obstringatur, si tanto sacrificio gravis culpae sibi conscius intersit. Verum utpote absurdam Tridentini Patres sess. nuper cit. Cap. 2. hanc opinionem penitus eliminant. En verba Concilii. — Docet S. Synodus, Sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut,

Respectu vero corporis, in toto ipsius habitu modestia, pietas ac reverentia extrinsecus eluceat oportet (1). Quoniam autem cuique compertum est, neminem absentem posse Missam audire; jam sponte colligitur, ad praeceptum audiendi Sacri adimplendum moralem saltem praesentiam requiri. Moraliter praesens vocatur non tantum qui prope altare consistens Presbyterum celebrantem videt ac sentit, sed qui astat in qualibet templi parte etiam ab altari longe remota. Nec officit, si ob interpositum obicem sacrificantem conspicere nequeat vel audire: satis enim est, ut a populi prostrationibus, aliisque signis percipere valeat, quid a Sacerdote offerente perficiatur. Item praesens moraliter habetur, qui e fenestra domus Ecclesiae contiguae Missam audit: imo qui prae Fidelium concursu extra fores templi versatur, dummodo nimium non distet, ac vere dici possit cum affluente populo Sacrum audiente moraliter conjunctus.

si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata, etiam ingentia dimittit —.

(1) Ex Tridentino ead. Sess. in decreto de Missae celebratione.

§. CXXIII.

Non una est legitima ratio excusans ab onere, de quo huc usque disseruimus, persolvendo; istiusmodi namque obligationem adimunt vel *impotentia*, vel *caritatis praeceptum*.

1. Itaque non peccat, qui ob *impotentiam* die dominico Sacrum non audit. Si enim de *impotentia physica* agatur, impedimentum aliquod tum obstat observantiae praecepti, quod nullatenus potest removeri. Ejusmodi impotentia contingit, si quis aut in vinculis constitutus, aut aegritudine laborans Templum adire non valeat; si absit Sacerdos; si materia desit ad Sacrificium necessaria. Aeque de *morali impotentia* concludimus. Haec quippe, licet absolute vincibilis, nonnisi cum gravi famae, bonorum corporis vel animae detrimento vinci potest: legem vero humanam, qualis ea est, de qua sermonem habemus, cum tanto incommodo, ceteris paribus, non urgere, jam satis alibi demonstravimus (1).

2. Propter *Caritatis* officium Missa quoque die festo congruenter ac licite omittitur; quando nempe grave malum proximi avertere necesse sit, quemadmodum foret,

(1) Vide lib. 1. Institutionum §. XXXIV. princ. 4.

vel ipsius opes a naufragio, ab incendio, a direptione subtrahere, vel juvamen ferre egenti aut infirmo, cujus necessitas moram non patiatur. Consimilibus quippe occurrentibus circumstantiis, praecepto ecclesiastico praevalet illud caritatis, ac magis obstringit, quia in lege divina et naturali fundatur (1).

ARTICULUS TERTIUS

De Jejunio Ecclesiastico.

§. CXXIV.

Si vim nominis perpendamus, abstinentiam a cibo significat Jejunium, atque ad Temperantiae virtutem potissimum refertur (2). *In genere*, et sub communi ratione si jejunium consideretur, hoc praecipi jure naturali docet Angelicus 2. 2. Quaest. 147. art. 3. dicens: = Jejunium utile est ad de-

(1) Vide Institutiones §. LXI.

(2) Multiplicem significationem jejunio tribuunt Ethicae scriptores, cum inter jejunium *spirituale, morale, naturale, et ecclesiasticum* discrimen constituant. Metaphorice primum sumitur, ac designat abstinentiam a culpa juxta illud Augustini tract. 17. in Joannem — Jejunium magnum et generale est abstinere ab iniquitatibus, et illicitis saeculi voluptatibus — . Alterum in usu cibi, potusque temperanti consistit, de quo Hieronymus disserit adversus Jovinianum. Tertium quamlibet cibi vel potus vetat sumptionem, atque ad recipiendam Eucharistiam requiritur. Postremum illud est, de quo speciatim hic sermonem instituimus.

letionem et cohibitionem culpae, et ad elevationem mentis in spiritualia. Unusquisque autem ex naturali ratione tenetur tantum jejuniis uti, quantum sibi necessarium est ad praedicta. Et ideo jejunium in communi cadit sub praecepto legis naturae =. Neque porro dubitandum est, praeceptum hujusmodi juris quoque positivi Divini sanctione gaudere. = Primum enim, *inquit Bellarminus,* sententia illa Domini, quae Joelis 2. poenitentibus imperat jejunium cum fletu et planctu non est proprie caerimonialis vel judicialis, sed plane moralis, et non magis ad Judaeos, quam ad Ecclesiam pertinet, ut S. Leo monet in serm. 4. de jejunio decimi mensis. Item illa Domini sententia, Matt. 6. *Tu autem cum jejunas unge caput tuum* ita tradit modum jejunandi, ut praesupponat aliquando esse jejunandum, et quidem ex divino praecepto; nam ideo conjungit jejunium cum oratione et eleemosyna, et simul quomodo sit orandum, jejunandum, et largiendum praecipit, quoniam eadem est ratio et necessitas horum trium operum = (1). In id prorsum consentire noscimus D. Augustinum, qui de se ipso haec scribit Ep. 36. ad Casulanum Cap. XI. N. 25. = Ego in

(1) Consule Bellarminum Disputationum tom. 4. controv. 3. princip. De bonis operibus lib. 2. De jejunio Cap. 6.

Evangeliis, et Apostolicis literis, totoque instrumento, quod appellatur Testamentum Novum... video praeceptum esse jejunium =.

§. CXXV.

At cum in Sacris Literis definitum non fuerit, quibus diebus jejunare oporteat, quaeque in servandis jejuniis adhibenda sit ratio; id Ecclesiae suae Christus decernendum reliquit. Igitur *in particulari* si jejunium spectetur, hoc jure tantum ecclesiastico institutum fore, colligere necesse est. A catholicis hic summopere dissentiunt eterodoxi, cum inique contendant Ecclesiam nullo jure leges de jejuniis edicere posse, ideoque in ipsis ferendis indebitam sibi usurpasse auctoritatem (1). Verum tam gravis criminatio duplici ratione sic facile deletur.

Certum est 1., Ecclesiae Pastoribus Christum Dominum legum condendarum tribuisse potestatem in iis, quae bonum fidelium spirituale respiciunt (2). Atquin profecto

(1) Ecclesiae Catholicae anctoritatem in jejuniis constituendis Aerium saecnlo 4. contempsisse, testantur Epiphanius haeresi 75; et Angustinus de haeresibus Cap. 53. Aerii partes hac in re sectati sunt psendo-reformatores saecnli 16; ac prae ceteris Lutherus de Christiana libertate, Melancton in Augustana confessione, Kemnitius in exam. Concilii Tridentini, et Calvinus in suis institutionibus; de quibus videatur Cardinalis Bellarminus disputat. tom. 4. loc. sup. cit. Cap. 7.

(2) Non est, cur immoremur in hac veritate firmanda, quae jam satis probata fuit Institut. §. xxxix.

confert spiritali bono jejunia exercere, cum haec ad temperantiam pertineant, ceterasque foveant virtutes. Jure ergo potuit Ecclesia Christiano populo jejunia praecipere.

Certum est 2., Apostolos in Jerosolymitano Concilio quorumdam ciborum usum, idest *sanguinem*, et *suffocatum* prohibuisse, ne judaei, qui Evangelium susceperant, adhuc praeceptis caeremonialibus addicti offenderentur (1). Id porro tum temporis legitime sancitum fuisse in communem Ecclesiae utilitatem, neque adversarii inficiantur. Cur ergo Apostolorum successores aequo jure non poterunt ad fraenandas cupiditates, ad vitia cohibenda jejuniorum indicere observantiam?

§. CXXVI.

Quaenam jejunia cunctis fidelibus jubeat servari Catholica Ecclesia, nemo prorsus ignorat: plura tamen, quae spectant eorum originem atque institutionem non omnibus innotescunt. Age itaque, triplici animadversione graviora summatim exarentur, ceteris praetermissis, quae persequi longum foret, ac nimis forte molestum.

De Jejunio Quadragesimali. Antepaschale jejunium quadragenarium ad hunc finem institutum in Ecclesia fuit, ut aliqua ratio-

(1) Vide actuum Apostolorum Cap. 15.

ne Servatoris jejunium fideles imitarentur; ut peculiari modo salutaribus iis diebus peccatorum agerent poenitentiam; ut pietate disponerentur ad recolendos Christi Domini cruciatus et mortem, ejusque resurrectionis triumphum. Prae omnibus celeberrimum fore jejunium Quadragesimae ob maximam ejus antiquitatem novatores captiose negant, nos vero Catholici traditionis argumento innixi firmissime tuemur. Quod argumentum cum praesertim ex auctoritate Patrum educatur, operae pretium erit e praecipuis eorum placitis vetustissimam utriusque Ecclesiae disciplinam explorare.

A Latinis Patribus capiamus exordium, quorum prior nobis occurrit D. Hieronymus Ep. 41. ad Marcellam dicens: = Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto nobis orbe congruo, jejunamus: *Montanistae* tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores = (1). Accedit quoque D. Augustinus, qui Ep. 55. ad Januarium Cap. 15. haec habet: = Quadragesima sane jejuniorum habet auctoritatem et in veteribus libris ex jejunio Moysis, et

(1) Cum e Hieronymi verbis pateat, quadragesimale Christianorum jejunium nihil affinitatis habuisse cum superstitiosis Montanistarum Xerophagiis, mendacissimus apparet Calvinianus Dallaeus, autumans lib. 2. de jejun. et quadrages. Cap. 3. observantiam hujusmodi a Montano Catholicam Ecclesiam deduxisse.

Eliae, et ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonstrans Evangelium non dissentire a lege, et Prophetis =. Itidem D. Leo M. serm. 6. de Quadragesima inquit: = Quod ergo in omni tempore unumquemque convenit facere Christianum, id nunc sollicitius est, et devotius exequendum: ut Apostolica institutio quadraginta dierum jejuniis impleatur, non ciborum tantummodo parcitate, sed privatione maxime vitiorum =. Audiendus est pariter Isidorus Hispalensis, qui lib. 6. Orig. Eccles. ait Cap. 19. = Quadragesima in universo orbe institutione Apostolica observatur circa confinium Dominicae passionis =. Cum Patribus Ecclesiae occidentalis perfice concordant et orientales, inter quos D. Epiphanius in Expos. Fidei Catholicae haec habet: = Ante septem Paschatis dies quadragesimam observare, atque in jejuniis perseverare eadem Ecclesia consuevit =. Adde Cyrillum Jerosolymitanum Catechumenorum quempiam sic alloquentem Catechesi 1: = Tot annorum circulos transegisti, mundo frustra operam navans, et quadraginta diebus non vacabis pro anima tua =? Consimilia profert Gregorius Nyssenus Orat. in princip. jejun., ubi legimus: = Habeat igitur corpus decem menses, et paulo plus. Concedat mihi quadragesimam, et quidem solidam, ut paulisper e coeno

liberer, luto per temperantiam refrigerato =. Demum Basilius Orat. 2. de jejuniis haec de Quadragesima testatur: = Hoc tempore per universum terrarum orbem denunciatur jejunii praeconium. Nec ulla est insula, nec ulla terra continens, non civitas, non gens ulla, non extremus mundi angulus, ubi non sit auditum jejunii edictum =.

En quid senserint veteres Ecclesiae Patres, quorum vix ullus reperiri poterit, qui jejunium quadragesimale non memoret, ejusque institutionem ab Apostolis non desumat (1). Hisce interea positis, argumentum e traditione concise promptum, Augustino duce, tandem concludamus. *Quod universa tenet Ecclesia,* inquit S. Doctor, *nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur* (2). Jam vero e testimoniis superius allatis constat, quadragesimale jejunium ab Ecclesiae incunabulis viguisse: noscimus in toto orbe catholico illud saeculis prioribus fuisse receptum, nullumque proferri posse Concilium, a quo probetur institutum: denique latet, quo tempore in-

(1) Alia plurima Sanctorum Patrum testimonia, quae, ne brevitatis praetergrediamur fines, mittere cogimur, tum apud Card. Bellarminum conspici poterunt cit. loc. Cap. 14; tum in hist. Eccles. saec. 2. Natalis ab Alexandro dissert. 4. art. 3.

(2) Haec scribit D. Augustinus lib. 4. de Baptismo adversus Donatum Cap. 4.

ceperit, aut quem praeter Apostolos habuerit auctorem. Optimo ergo jure inferendum est, antepaschale jejunium Apostolica institutione gaudere.

De quatuor Temporum jejunio. Non una est catholicorum sententia in origine jejunii quatuor Temporum definienda: nonnulli enim Callistum I. Romanum Pontificem hanc institutionem primum invexisse arbitrantur; alii vero plures, queis lubenter assentimur, eam potius ab Apostolis manasse, demonstrant (1). Id autem pro certo habendum omnino est, quod jejunia quatuor Temporum, uti nunc quoque servantur, jam a saeculo 5. inoleverant, teste Leone M. ita scribente serm. 8. de jejunio decimi mensis Cap. 2. = Jejunia sic per totius anni circulum distributa sunt, ut lex abstinentiae omnibus sit adscripta temporibus: siquidem jejunium vernum in quadragesima, aestivum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hiemale in hoc, qui est decimus celebramus =. Quod si perquiratur, cur praxis ejusmodi universim a fidelibus sit custodienda, jam in promptu est responsio ex Insti-

(1) Postremam sententiam e pluribus locis D. Leonis invicem conlatis una cum Baronio et Spondano eruunt atque defendunt Bellarminus disput. sup. cit. Cap. 19. et Petrus Coustantius lib. 1. Epist. Romanorum Pontificum. Vide hac de re Bened. XIV. Inst. 4. N. 3. et 4; nec non Ludov. Thomassin. tract. de Jejuniis part. 1. Cap. 21.

tutionibus Benedicti XIV. deducta. Statis anni temporibus, ait perlaudatus S. Pontifex, jejunandum est: = primum quidem, ne judaei, qui publice indictum jejunium quater in anno religiose servabant, Christianos temperantiae virtute superarent. Deinde, cum a veteri Ecclesiae disciplina recedendum fuerit, ob quam sacrae ordinationes mense decembri tantum haberi solebant, ob idque alia tria tempora, vere scilicet, aestate, ac autumno ineuntibus, ad illas peragendas constituta fuerint, omnino rationi consentaneum visum est, ut jejunium pariter adhiberetur... Tertio, ut pro frugibus gratias Deo persolvamus, cum iis praecipue temporibus vel terrae mandentur, vel maturescant, vel desectae in horrea congerantur. Denique ut jejuniis, aliisque piis operibus nostra crimina sine ulla intermissione expiemus = (1).

De ceteris Ecclesiae jejuniis. Praeter ea, quae nuper descripsimus, alia plurima jejunia antiquitus consuevisse, ex historia edocemur. Prioribus namque saeculis quavis hebdomade jejunium servabatur quartae et sextae feriae, de quo apud Tertullianum lib. de Jejun., Originem Homil. 10. in Levitic., Clementem Alexandrinum Stromat. 7. fit

(1) Hactenus cit. S. Pontifex ead. Instit. 4. N. 2.

mentio. Celebre item erat Sabbati jejunium, quod a Silvestro P. institutum fertur, diuque in usu fuit tum in Romana Ecclesia, tum fere ubique in Occidente. Nec minus recepta erant pro diversis Ecclesiarum moribus jejunia *Adventus, Rogationum,* ac *Vigiliarum,* quae pridem majorum solemnitatum agebantur. Hae tamen consuetudines religiosae neque ab Apostolis constitutae fuerant, neque ab Ecclesia universim fidelibns indictae: unde, cum alicubi tantum praeciperentur, cum etiam libera saepe foret earum observantia, lapsu temporum vel immutationibus fuerunt obnoxiae, vel in desuetudinem penitus abiere (1).

§. CXXVII.

Quoniam interim apprime refert explanare, ubi vis consistat praecepti, de quo disseritur, probe adnotandum est, duplici veluti parte jejunii legem constare, duoque invicem distincta in eadem contineri praecepta. Jubetur siquidem ex uno capite feriis esurialibus abstinentia a quibusdam cibis, seu *ciborum delectus*, nt ait Tridentinum sess. 25; ex alio plures refectiones interdicuntur. Disquisitionem quoad primam hujus

(1) Praeter jam not. Scrip. videatur Martene de antiquis Ecclesiae ritibus tomo 4. lib. 2. et 3.

legis partem instituentes, rem sic brevi complectimur.

1. Lex de ciborum delectu fidelibus generatim esum *carnium* vetat, quo nomine veniunt animalia cuncta, quae pisces dici nequeunt, nec ulla ratione ad eorum genus referri (1). Ad piscium autem genus pertinere, ideoque jejunii tempore licere docent TT; ranam, astacum, lytram, ostream, ac generatim aquatilia. Haec enim cum frigido sanguine coalescant, cum in aquis nutriantur et vivant, communi aestimatione piscibus aequiparantur (2). Id porro intelligendum est de omnibus jejuniis, quae praecipit Ecclesia, modo tamen antepaschale excipiatur. Etenim inter alia, inquit D. Thomas 2. 2. quaest. 147. art. 8. ad 3., = solemnius est quadragesimale jejunium, tum quia observatur ad imitationem Christi, tum etiam quia per ipsum disponimur ad redemptionis nostrae mysteria devote celebranda. Et ideo... interdicuntur etiam ova et lacticinia = (3).

(1) Cap. Statuimus dist. 4. et Cap. Utinam dist. 76.

(2) Animalium, quibus vesci nefas est ex lege jejnnii, non tantnm carnes prohibentur, sed ea insuper, quae, quamvis caro non sint, nihilominus ut eorum partes snbstantiales habentur, veluti adeps, sanguis, et jusculnm e carnibus expressum.

(3) Id constat sive ex Cap. Denique dist. 4; sive ex Alexandro VII; qui sequentem prop. damnavit. — Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesima obliget — .

2. Usus de ciborum delectu recens non est in Ecclesia; antiquioribus quippe saeculis a carnibus abstinuisse fideles, idque ut maximam Ecclesiastici jejunii partem semper habuisse, indubitatum est. Hac de re perspicuum simul ac unanime testimonium perhibent Sancti Patres, e quibus nonnullos placeat audire. = Jejunamus, ait Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 4; et a vino carnibusque nos abstinemus, non ea quasi piacula abhorrentes, sed mercedem expectantes, ut dum sensibus grata contemnimus, spiritali, coelestique mensa fruamur; utque nunc seminamus cum lacrymis, cum exultatione metamus in saeculo venturo =. Basilius quoque morem describens, quo jam suis temporibus jejunium quadragesimae custodiebatur, sic loquitur Hom. 1. = Carnes non edis, a vino abstines, vesperam expectas, ut cibum sumas =. Item Hieronymus caput explicans 10. Danielis ad verba: *panem desiderabilem non comedi,* haec scribit: = Hoc docemur exemplo, tempore jejunii a cibis delicatioribus abstinere... nec carnem comedere, nec vinum bibere = Tandem sexcentis aliis praetermissis, consulere praestat Augustinum serm. 64. de temp. 1. in Domin. quadrag. dicentem: = Illa est in diebus quadragesimis grandis utilitas, quod dūm a licitis abstinemus, magis ac magis admonemur

illicita vitare: qui enim abstinemus nos a carnibus, quibus uti aliis diebus licet, fugiamus peccata, quae omnino non licent =.

3. In Ecclesiam hic novatores insurgunt, ac legi de ciborum delectu Evangelicam doctrinam opponere conantur. En praecipua, quibus abuti solent Sacrarum Scripturarum loca. = Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore =: ita Servator Christus apud Matthaeum cap. 15. Paulus autem Apostolus 1. ad Corinthios cap. 10, haec habet: = Omne quod vobis apponitur, manducate, nihil inde interrogantes propter conscientiam = : ad Colossenses pariter Cap. 2. = Nemo vos judicet in cibo, aut in potu =. Rursus futuram de abstinentia legem S. ipse Doctor praenuntians in Ep. 1. ad Timotheum cap. 4. hisce utitur verbis: = In novissimis temporibus discedent quidam a Fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum in hypocrisi loquentium mendacium.... prohibentium nubere, *abstinentes* a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus = (1). Ex hisce, quod ignorant, vel ignorare fingunt nequissime blasphemantes, concludunt Kemnitius, et

(1) In posteriori textu *abstinentes*, non *abstinere* legimus cum D. Augustino tum lib. 15. Cap. 10. contra Faustum, tum lib. contra Secundinum Manichaeum Cap. 2.

Dallaeus Romanam Ecclesiam ab Evangelio descivisse, ac superstitiosa Tatiani, Marcionis, Priscillianistarum deliria renovasse.

4. Verum inane sibi comparant praesidium e Sacris Literis Ecclesiae adversarii, easque alieno sensu interpretantur, penitusque depravant. In primis enim Christus Pharisaeos arguit existimantes, animam infici, si illotis manibus esca sumatur. Quorum errorem ut depellat, ostendit, cibum de se malum non esse, nec hominem inquinare. Quid vero exinde? Quamquam ciborum usus eo loci probetur, num inferri poterit, escam licere, si qua lege prohibeatur? Haec illatio si valeret, profecto, nec peccarent qui intemperantiae, ac ebrietatibus contra naturae legem indulgent. Sed Apostolum audiamus, qui cum esum carnium indiscriminatim suadeat Corinthiis, de idolothytis loquitur, quae venalia in foro proponebantur. Hic ut a fidelibus quamlibet anxietatem, ac peccandi periculum removeat, indulget, ut unusquisque carnibus vescatur, dummodo non inquirat, an idolis fuerint immolatae. Hac porro, quam tradit Apostolus, regula admissa, non inde consequitur, vel Ecclesiam non posse abstinentiam praecipere, vel Christianum populum ab hac lege liberari. Cum autem Doctor gentium in cibo, aut potu judicandos non esse decernat Co-

lossenses, de praeceptis caeremonialibus agit Mosaicae legis; quibus abrogatis, et mundorum ab immundis sublato discrimine, Christifideles iis uti poterant, quae Judaei abhorrebant. At si, Paulo testante, vinculum antiqui Foederis solutum fuit; quis sanae mentis inferre poterit, Christianos etiam in novo Ecclesiasticae non subesse legi de ciborum delectu? Postremo, quoad Epistolam ad Timotheum D. Hieronymus (1) rem plane dilucidat impias ac superstitiosas haereticorum abstinentias discernens ab iis, quas pie et religiose Catholica jubet Ecclesia. En ipsius verba lib. 2, adversus Jovinianum cap. 2. = Reprobat quidem Apostolus eos, qui prohibebant nuptias, et jubebant cibis abstinere, quos Deus creavit ad utendum cum gratiarum actione: sed Marcionem designat, et Tatianum, et ceteros haereticos, qui abstinentiam indicunt perpetuam ad destruenda, et contemnenda, et abominanda opera Creatoris. Nos autem et creaturam omnem laudamus, et maciem saginae, abstinentiam luxuriae, jejunia praeferimus saturitati =. Sic explanatis N. T. auctoritatibus, quas eterodoxi nimis fidenter obji-

(1) Huic loco praeter Hieronymum eandem attribuunt significationem Tertullianus lib. de Jejunio Cap. 15; Chrysostomus Homil. 12. in epistolam cit., et Augustinus lib. 1. contra Adimantum Cap. 14. N. 2.

ciunt, nulla prorsus inter Evangelium et Ecclesiam repugnantia apparet, nullaque in praecepto de ciborum delectu superstitio.

§. CXXVIII.

Ad alteram gradiamur partem Ecclesiasticae legis de jejunio, qua unica tantum in die refectio praecipitur. Unicae refectionis convenientiam hoc pacto demonstrat Angelicus 2. 2. quaest. 147. art. 6. dicens: = Jejunium ab Ecclesia instituitur ad concupiscentiam refraenandam; ita tamen, quod natura salvetur: ad hoc autem sufficere videtur unica comestio, per quam homo potest naturae satisfacere, et tamen concupiscentiae aliquid detrahit, diminuendo comestionum vices. Et ideo Ecclesiae moderatione statutum est, ut semel in die a jejunantibus comedatur = Plura, quae de hoc argumento apud morales TT. reperiuntur, ad tria praesertim capita referimus, inquirentes 1. Quinam ordo in refectione servari debeat? 2. An coenula vespertina toleretur? 3. Num extra refectionem liquidorum usus jejunium infringat? Singula ut evolvantur, sit

Resolutio 1. Cum jejunium ecclesiasticum dicatur *abstinentia a quibusdam cibis, pluribusque refectionibus secundum Ecclesiae regulas;* jam pro certo statuimus, ad jejunii praeceptum debita ratione adimplendum

requiri, ut refectio fiat modo ab Ecclesia praefinito. Qua in re animadvertere decet, variam pro diversis temporibus consuetudinem in Ecclesia viguisse. Vetera monimenta si perspiciamus, in comperto erit, severiorem olim fuisse jejunii observantiam. Etenim in quadragesima vespere tantum, ceteris vero diebus esurialibus post horam nonam corpus alimoniis reficiebatur (1). Diu equidem stetit haec disciplina, hoc est, usque ad saeculum duodecimum, uti patet ex D. Bernardo, qui eo tempore floruit (2). At aevo subsequente, vespertina refectione sensim obsoleta, solvi coepit hora diei nona quadragesimale jejunium (3): dein paullatim usus adhuc perseverans obtinuit, ut comestio licite fieret, vix elapso meridie. Ne tamen antiquae observantiae jam elapsae vestigia penitus delerentur, jussit Ecclesia, in feriis quadragesimalibus vespertinum officium ante meridiem celebrari. Adnotandum interea, nefas esse tempus refectionis absque legitima causa notabiliter antevertere (4):

(1) De hoc testes habemus Epiphanium in Expos. Fid. Cathol; Chrysostomum Homil. 6. in Genesim, Paulinum ep. 6. ad S. Amandum, Ambrosium concione 8. in Psal. 118.. et Augustinum tum ep. 54. ad Januarium, tum lib. 1. de moribus Ecclesiae Cap. 33. N. 70.

(2) Consule D. Bernardum serm. 5. de Quadragesima.

(3) Vide D. Thomam 2. 2. Quaest. 147. art. 7.

(4) Ita omnes cum D. Thoma in 4. distinct. 15. Quaest. 3. art. 4.

cavendum item, ne comestio moraliter interrumpatur, secus non una, sed plures forent contra vetitum Ecclesiae.

Resolutio 2. Quoniam, ut diximus ad vesperam aut hora nona jejunium apud veteres solvebatur, caenula serotina iis prorsus ignota fuit; unde patet, qua de causa haec a Patribus non memoretur. At cum meridianae refectionis usus invaluisset, tum non incongruum putamus, jejunantes aliquid cibi nocturno tempore gustare coepisse: quem morem undique modo retentum Ecclesia non reprobavit. Haec porro caenula ex communi doctorum placito modica sit oportet, ac temperata, ne jejunium frangatur. Modica sit caenula in *quantitate:* de qua ut norma proponi possit, haec sive a regionis temperie, sive potissimum a naturali corporis constitutione, conditione ac laboribus jejunantis optimo jure deducenda videtur. Saepe namque contingit, ut uni majus nutrimentum necessarium sit, minus alteri sufficiat (1). Pariter in *qualitate* sit refectiuncula temperata. Huic ergo dapes non apponantur calidae aut exquisitae, non carnes, non ova, non lacticinia, quibus corpus nimium exsaturatur; sed cibi leviores usurpentur, uti forent legumina et fructus, aliaque id generis parum nutrientia, juxta lo-

(1) Haec tradit idem S. Doctor 2. 2. Quaest. 147. art. 6. ad 1.

corum consuetudinem, prudensque timoratorum judicium.

Resolutio 3. Talis erat priscis temporibus circa jejunium Ecclesiae disciplina, ut a vino prorsus abstinerent fideles (1); imo nec ullum potum sumerent extra refectionem (2). Quid vero in praesenti? Si de potionibus agatur, quae per se referuntur ad corpus alendum; TT. sentiunt, eas ante vel post refectionem aut caenulam sumere non licere: nam quidquid per se ac principaliter ad nutrimentum ordinatur, cibi nomine venit, ideoque extra comestionem jejunii lege prohibetur. At, si de potu sermo sit, qui quamvis aliqua ratione nutriat, praecipue tamen ad sitim restinguendam ordinetur, vel ad juvandam ciborum digestionem; tum contra docet Angelicus, jejunium non infringi quia nemini frequentiam potus interdicit Ecclesia (3).

§. CXXIX.

Quidquid in contrarium dictitent novatores, optimo sane consilio universis fideli-

(1) Tum e S. Patribus, quos superius citavimus §. CXXVII. eruitur haec veritas, tum atiam ex Apostolicis constitutionibus lib. 6. Cap. 18.

(2) Id constat praesertim ex actib. S. Fructuosi Tarraconensis Episc. at Mart., cujus laudes Prudentius Hymno 6. pertaxit.

(3) Vida D. Thomam loco sup. cit. art. 6. ad 2., at Benedictum XIV. Instit. 15. N. 7.

bus jejuniorum observantiam indicit Ecclesia; *nemo* enim, inquit Leo M. serm. 11. de Quadrag., *nemo tam sanctus est, ut non sanctior, nemo tam devotus, ut non debeat esse devotior.* Cujus praecepti quanta sit obligatio, facile patet ex constitutionibus, quae saeculis jam elapsis graves poenas in transgressores decernebant. Si Apostolicos canones pervolvamus, haec sancita legimus can. 61. = Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor sanctam Quadragesimam non jejunat, vel feria quarta, vel Parasceven, deponatur..... sin vero laicus sit, segregetur = (1). Eadem statuuntur in Synodo Gangrense cap. 19. dicente: Si quis eorum, qui continentiae student, absque necessitate corporea tradita in commune jejunia, et ab Ecclesia custodita superbiendo dissolvit,...... anathema sit = (2). Toletanum pariter Concilium VIII. sic jejunii violatores insectatur can. 9. = Quisquis absque inevitabili necessitate...... quadragesimae diebus esum carnium praesumpserit attentare, non solum reus erit resurrectionis Dominicae, verum etiam alienus

(1) Quamquam alias sub N. 68. cit. canon referatur, hunc tamen ex recensione Joannis Cotelerii sub N. 61. reperimus.

(2) Ad annum rep. sal. 333. attinet celebratio Conc. Gangrens., cujus auctoritatem excerpsimus e codice canonum Ecclesiae Romanae, quem edidit Franciscus Pithoeus.

ab ejusdem diei sancta communione; et hoc illi cumuletur ad poenam, ut ipsius anni tempore ab omni esu carnium abstineat gulam, quia sacris diebus abstinentiae oblitus est disciplinae = (1). Porro, si tam districte puniebantur olim Ecclesiasticum jejunium infringentes, quis tantae praevaricationis, et contumaciae reum a lethali noxa defendet? Non hunc profecto excusant veteres Ecclesiae Patres (2); non Romani Pontifices (3); non catholici rerum theologicarum scriptores, qui communi suffragio in violatione hujusmodi praecepti gravem culpam agnoscunt.

§. CXXX.

Quamquam ex dictis lex jejunii sit universalis, ab ea nihilo secius non paucos excipit *aetas*, *infirmitas* vel *necessitas* (4).

(1) Vide Labbei Collectionem jam pluries memoratam tom. 10. ad an. 653.

(2) Inter S. Patres consulantur potissimum Basilius Orat. 2. de jejunio, Chrysostomus Hom. 6. ad populum Antioc; Augustinus serm. 62. de Tempore, et Ambrosius serm. 25. et 34.

(3) Duplicem auctoritatem hic prae manibus habemus. Prior est Divi Leonis M. de jejunio mensis decimi serm. 3. ita scribentis: — Jejunium pium est agere non indictum, impium est negligere praedicatum —. Huic alteram adjicimus Alexandri VII; qui oppositam doctrinam expunxit, quemadmodum indicavimus Institut. §. XLIII.

(4) Triplex haec distinctio congruit apprime cum sup. cit. Canone Conc. Toletani, ubi a lege jejunii eximuntur — quos aut aetas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat —.

Ratione *aetatis* vi consuetudinis jam undique receptae lege jejunii non tenentur juvenes, cum non adhuc vigesimum primum aetatis annum expleverint. Si causae perquirantur, cur tale privilegium adolescentiae fuerit concessum, animadvertimus cum D. Thoma, Ecclesiam huic aetati indulsisse, quia tum propter naturalem debilitatem, tum etiam ob statum incrementi puerorum frequens nutrimentum est necessarium (1). Senes pariter ob virium defectum, qui longaevam aetatem plerumque comitatur, ab hac lege solvunt Theologi omnes: at cum definiendum sit, quaenam senectus ad hoc requiratur, unumquemque in suo sensu abundare videmus. Permulti sexagenarios absolute liberant a jejunio: plures contra docent, nullum tempus hac in re praestitui posse, cum Ecclesia omnino sileat; cum interdum, experientia teste, annosus magis abstinentiam sustinere valeat, quam junior; cum denique alii serius, ocyus alii senescant (2). Sed dissidiis praeteritis, id notatu dignum arbitramur, quod immunes ob aetatem a lege jejunii, quamvis ad unicam refectionem non

(1) Haec tradit Angelicus 2. 2. Quaest. 147. art. 4. ad 2., qui tamen censet admodum convenire, ut juxta aetatem, eorumque peculiares circumstantias pueri quoque se se jejuniis plus vel minus exerceant.

(2) Scriptores de hac controversia invicem dimicantes recenset in sua bibliotheca Lucius Ferrarius verb. jejunium art. 2.

cogantur, a carnibus tamen juxta universam Ecclesiae praxim abstinere debent, nisi aetatis defectui languor aut morbus accedat.

Ratione *infirmitatis* huic legi non subjiciuntur ii omnes, quos praesens et gravis detinet aegritudo; imo etiam qui naturaliter ita sunt constituti, ut e jejunio periculum adventuri morbi certo vel probabiliter praevideatur. Qua in re, cum non omnibus infirmitatibus officiat jejunii observantia, cum saepe metus futuri morbi contrahendi inanis esse possit, ad removendas dubitationes et anxietates probi prudentisque medici expetendum erit judicium (1).

Ratione tandem *necessitatis* plurimi a jejunio ecclesiastico excusantur. At quoniam multiplex est hominum conditio, quoniam variae sunt circumstantiae, quae inducere valent jejunandi impotentiam; hinc plura distincte subjiciamus.

1. Itaque lex jejunii pauperes non tenet. Quae propositio, ne late nimium sumatur, advertimus, hanc ad eos minime referri qui

(1) Opportunum monitum hic referre placet D. Caroli Borromaei in edicto pro observantia quadragesimali ita medicos alloquentis: — Meminerint medici ita suarum esse partium corpori incolumitati prospicere, ut ne obliviscantnr potiorem haberi debere animarum salutem. Quapropter caveant diligenter, ne alienae culpae participent nimia facilitate sua in fide facienda necessitatis utendi cibis vetitis —. Vide act. Eccl. Mediol. ad calcem tertiae partis.

licet pauperes vere sint, necessariis tamen non carent, quae ad unicam sufficiant refectionem. De iis tantum pauperibus sermo est, qui, cum victitent frustatim eleemosynas captantes, ideo subducendi jejunio videntur, quod non adeo facile simul habere queant ad victum sufficientia (1).

2. Item hoc vinculo neque devinciuntur qui artes laboriosas exercent. Tales sunt agricolae, caementarii, fossores, aliique artifices permulti, qui absque gravi incommodo ac vitae dispendio jejunare non possent. Haec, nemine dissentiente, Angelicus tradit, casum excipiens tantum, in quo sine detrimento status labor diminui possit, vel in aliud tempus differri (2).

3. A jejunio quoque merito solutae censentur praegnantes ac nutrices, quae majori indigent alimonia ad prolem nutriendam.

4. Idipsum concluditur de peregrinantibus, dummodo in fraudem legis iter non susceperint. Opus est praeterea, ut illud necessario fiat, ut longum sit, adeoque laboriosum, ut servato jejunio, vires corporis admodum frangerentur.

5. Rursus huic praecepto non sunt obnoxii qui pietatis opera ex officio, vel etiam ex caritate praestant, uti Confessarii, Con-

(1) Vide D. Thomam Quaest. sup. cit. ad 4.
(2) Ibidem ad 3.

cionatores, ludi magistri, aut qui aegris deserviunt in nosocomiis, si in proprio ministerio exercendo ita defatigentur, ut nequeant jejunare, nisi munus praetermittant. Communiter haec doctrina recipitur; si tamen hujusmodi opera ad Ecclesiae legem evadendam apposite non assumantur; si praeteriri non possint, vel differri; si praestantiora sint, quam ipsum jejunium. Cum enim Christiano populo abstinentiam praeceperit Ecclesia, hisce legibus nunquam profecto voluit ceteris operibus aeque piis, ac magis etiam necessariis impedimentum opponere.

§. CXXXI.

Dispensationes circa legem jejunii fidelibus elargiri solet pia Mater Ecclesia, ac ferme quotannis, locorum circumstantiis perspectis, usum carnium quadragesimali tempore plus, minus indulget. Harum dispensationum occasione gravis inter nostrates exorsum habuit contentio. Quidam senserunt, integram jejunii naturam duabus necessariis partibus contineri, unica nempe comestione, et abstinentia ab esu carnium; quarum, altera sublata, primam quoque penitus auferri necesse sit. Verum hanc opinionem merito a plerisque rejectam novimus, qui quamvis non diffiterentur, utramque abstinentiam una eademque lege concludi, nihilo

tamen secius asserebant, haec duo invicem disjungi posse, cum moraliter, non physice uniantur; ideoque, una tantum obligatione dempta, alteram necessario manere. Porro non desunt argumenta facti, quibus posterior sententia roboretur: ei namque decreta Sixti IV; Eugenii IV; Alexandri VII; et Clementis XI. suffragantur (1). Sed prae ceteris audiamus Benedictum XIV., qui ad Compostellanum Archiepiscopum an. 1744. haec scribebat: = Ad 1. respondemus, concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis hisce adjectis conditionibus, videlicet unicae in diem comestionis, et non permiscendarum epularum. Eos vero, qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari =.

§. CXXXII.

Innumeris prope laudibus jejunium Sancti Patres commendant, ejusque maximam efferunt praestantiam, virtutem, utilitatem. E quorum operibus nonnulla delibantes, quatuor praecipue spiritales fructus enumera-

(1) Qui plura cupit de statu ac resolutione traditae quaestionis adeat perlaud. Bened. XIV. Instit. 15. a N. 19. ad 24; tum etiam Gabrielem Antoine theol. mor. tom. 2. part. 1. tract. de virtut. moralib. in append. de jejun. Eccles. Quaest. 4.

mus, qui a pio jejuniorum usu gignuntur. De singulis pauca.

1. *Jejunia concupiscentias vincunt* (1). Cum enim corpus ab escis abstineat, procul dubio spiritui subigitur: hinc rebelles animi motus comprimuntur: hinc luxuria tepescit, castitatis verum lumen accenditur.

2. *Jejunium animae nostrae alimentum est, leves ei pennas producit, ut in sublime feratur, et summa contemplari queat* (2). Sic Moyses ad Divina colloquia se se jejunio quadragenario disposuit (3): Elias post jejunium Deum videre meruit (4): Daniel arcana Divina percepit (5).

3. Jejunio Deus redditur placatus: hoc siquidem *culpae mors est, excidium delictorum, remedium salutis* (6). Nobis exemplo sint David, qui *jejunio humiliabat animam suam* (7): filii Israel, qui se jejuniis af-

(1) Ita Leo M. serm. 4. de jejunio decimi mensis, cui adjiciantur Cyprianus serm. de jejun. et tentat; Basilius orat. 1. de jejunio, Hieronymus ad Eustochium de custodia virginitatis, et Ambrosius Ep. 82. ad Ecclesiam Vercellensem.

(2) Haec habet Chrysostomus Homil. 1. in Genesim.

(3) Exodi Cap. 24.

(4) Lib. 3. Regum Cap. 19.

(5) Daniel Cap. 10.

(6) Verba haec sunt D. Ambrosii lib. de Elia et Jejunio Cap. 3. Consimilia habentur apud Cyprianum lib. de lapsis, et Leonem M. serm. 4. de Quadragesima.

(7) Psalmo 34. v. 13.

fligentes divinam ultionem devitarunt (1): Achab, qui pro Nabothe interfecto mala sibi denuntiata jejunans avertit (2): demum Ninivitae ab excidio liberati (3).

4. *Per humilitatem jejunii contra omnes hostes nostros divit um meremur auxilium* (4); *animas virtutibus saginamus* (5); *atque ad venturi saeculi mala fugienda, et assequenda bona* disponimur. (6). Hac profecto ratione Sara a daemone defensa fuit (7), Judith Holofernem, et Assyrios devicit (8).

En quid proferant Sancti Patres de jejunii praeconiis. Quae cuncta si rite perpendantur, nemo non videt, quam absonum sit, quam alienum a Christiana professione, medium adeo praeclarum fastidire salutis. Age ergo: sic quemque fidelium hortatur Chrysostomus: *jejuna, quia peccasti: jejuna, ut non pecces: jejuna, ut accipias: jejuna, ut permaneant quae accepisti* (9).

(1) Lib. 1. Regum Cap. 7.
(2) Lib. 3. Regum Cap. 21.
(3) Lib. Jonae Cap. 3.
(4) Ex Leone M. serm. 1. de jejunio septimi mensis.
(5) Ex S. Maximo Taurinense Hom. 3. de Jejun. Quadrag.
(6) Ex Basilio loc. sup. cit.
(7) Lib. Tobiae Cap. 3.
(8) Lib. Judith Cap. 4. et 8.
(9) Ita cit. Pater Antiochenus serm. 1. de jejunio.

PARS ALTERA

DE CONSCIENTIA.

§. CXXXIII.

De lege, quae remotam externamque moralitatis normam constituit jam satis pro munere disseruimus. Reliquum nunc est, ut eam quoque regulam sedulo expendamus, quae homini proxime inhaeret, quaeque vulgo conscientia nuncupatur. Atque in primis a significatione vocis initium ducentes, animadvertimus cum Angelico, conscientiae nomen nil aliud designare quam *applicationem ad aliquid*: *unde conscire dicitur quasi simul scire* (1). Quatenus autem conscientia sumitur pro regula morum, haec definiri solet *judicium actuale rationis dictans, quid in particulari agendum sit vel praecavendum, quidve fieri, aut omitti debuisset.* Hinc patet, quam probe conscientia *viae dux et magistra* (2); *lumen intellectus* (3); *scientia cordis* (4) a Sanctis Patribus identidem vocetur. Sed ut clarius adhuc innotescat hujusce regulae notio, quam super tradidimus, definitionem sequentibus explicare juvabit.

(1) Vide D. Thomam Quaest. 17. de veritate art. 1.
(2) Consulatur D. Chrysostomus Homil. 54. in Genesim.
(3) Item D. Joannes Damascenus lib. 2. de Fide Orthodoxa.
(4) Item D. Bernardus lib. de Conscientia Cap. 8

1. Rite quidem conscientia *judicium rationis* appellatur, cum non sit voluntatis operatio. Quemadmodum enim solius voluntatis est eligere, sic ad intellectum tantummodo pertinet judicare. Nec obstant huic veritati Scripturae Sacrae, dum conscientiae quae propria sunt voluntatis, bonitatem scilicet, ac malitiam, persaepe tribuere videntur (1). Etsi namque munda vel inquinata ibi conscientia hominis dicatur, id tamen nonnisi improprie asseritur ob analogiam, quae inter conscientiam et voluntatem habetur (2).

2. Conscientia est *judicium actuale,* hoc est actus mentis, non habitus: aliter si quid habituale effingeretur, vel naturale foret, vel infusum, vel acquisitum. Verum habitus naturalis esse nequit conscientia; secus in

(1) Inter plurima N. T. loca confarantur actus Apost. Cap. 23. v. 1. Ep. ad Timotheum 1. Cap. 1. v. 5., ad Titum Cap. 1. v. 15; ad Hebraaos Cap. 9. v. 14.

(2) Haec resolutio eruitur e doctrina D. Thomaa Qnaest. sup. cit. eod. artic. ad 2. ita soribantis: — Inquinatio non dicitur esse in conscientia, sicut in subjecto, sed sicut scitum in cognitione: dicitur enim aliquis habere conscientiam inquinatam, quando alicujus inquinamenti sibi est conscius —: at ad 3: — Conscientia inquinata mundari dicitur, secundum quod aliquis, qui fuit sibi conscius prius peccati, postmodum scit sa esse a peccato mundatum, et ita dicitur habere conscientiam puram. Est enim eadem conscientia, quae prius immunda est, et postea mnnda, non quidem ita quod conscientia sit subjectum munditiaa, et immunditiae, sed quia per consciantiam examinantem utrumque cognoscitur —.

omnibus eadem foret, sicuti idem est in omnibus habitus naturalis cognoscendi prima rerum agendarum principia. Item nec habitus esse potest infusus, quia tum recta semper foret; quod experientiae repugnat, cum in plerisque sit fallax, et erronea. Tandem habitus acquisitus non est; siquidem in animo ea reperitur, praecisis etiam actibus antecedentibus, quorum frequentia ad habitum constituendum necessario requiritur.

3. Cum judicium conscientiae *dictet in particulari, quid agendum sit, vel omittendum,* jam sponte consequitur, eam toto coelo a Synderesi discrepare. Synderesis quippe habitualis est cognitio primorum, atque universalium principiorum legis naturalis: conscientia vero ad opus peculiare cum suis omnibus circumstantiis inspectum eadem comparat principia: unde merito a D. Antonino dicitur *Scientia concludens* (1).

4. Demum conscientia docet, *quid fieri debuisset, vel omitti.* Ea enim circa futura non modo versatur, sed praeterita revocans, haec vel corripit, vel commendat. Praeterita, uti diximus, commendat, si recte facta, si legi fuerint conformia, juxta illud Apostoli Ep. 2. ad Corinthios Cap. 1. *Gloria nostra*

(1) Vide cit. Doctoris Summam Theologicam parte 1. tit. 3. Cap. 10. §. 1.

haec est testimonium conscientiae nostrae. Item si a lege desciverint, praeterita diris morsibus perpetuo corripit; nam de improbis ait Isaias Cap. 66. *vermis eorum non morietur* (1). Hisce quoad conscientiae definitionem elucidatis, per se se jam nobis occurrit multiplex ipsius divisio. Ratione objecti conscientiam TT. partiuntur in *rectam,* et *errantem*: ad hanc postremam attinent quamvis invicem pugnantes *lata,* et *scrupulosa.* Ratione pariter assensus in *certam, dubiam* et *probabilem* distinguitur. Interim e variis conscientiae speciebus, quas indicavimus, anne sunt omnes tuta, prudensque regula morum? En quid in praesens investigandum suscipimus, quod ut aliquali ordine fiat, posteriorem hujusce libri Institutionum partem, quam

(1) Domesticum hunc judicem, quo probatur virtus, quo scelara arguuntur, cuique naturaliter inasse adeo perspicuum est, ut da tanta veritate nec ethnici dubitarint. Hac de re duo testimonia e gentilibus deducta scriptoribus audire non pigeat.

Conscientia in homine probo securitatem parit.

— Hic murus aeneus esto
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. —
Horat. Ep. 1.

Nequam sua conscientia torquetur.

— Prima haec est ultio, quod se
Judice, nemo nocans absolvitur, improba quamvis
Gratia fallacis praetoris vicerit urnam.
. . . .
Poena autem vehemens, ac multo saevior illis,
Quas et Caeditius gravis invenit, et Rhadamantus,
Nocte, dieque suum gestare in pectore testem.
Juven. Sat. 13.

de conscientia inscripsimus, per capita discernamus.

CAPUT PRIMUM

DE CONSCIENTIA RECTA ET ERRANTE.

§. CXXXIV.

Conscientiam tum rectam appellamus, cum rite Synderesis applicatur ad opus. Haec igitur *per se* vera simul ac tuta moralitatis est norma, quia, ut honestum probat quod tam in se, quam, attentis circumstantiis, rectae rationi consentaneum est; contra vero illud reprehendit ut malum, cui recta ratio adversatur. At si recta conscientia est regula morum, num semper et in omnibus obligationem inducit? Res plane elucidatur, si consideremus huic regulae tres actus penitus convenire; scilicet, *consulere, permittere,* ac *jubere.* In primis itaque si recta conscientia quid consulat, neminem profecto devincit, quia bonum prosequendum homini proponit nullatenus necessarium; secus non modo consuleret, sed praeciperet. Idipsum de conscientia permittente concludimus: quod enim haec fieri indulget, illud nec a lege constituitur, nec prohibetur. Verum *a recta conscientia nec transversum unguem oportet discedere,* si eadem praecipiens

fingatur (1). Quamvis enim haec *proprie* ac *per se* non jubeat, quia lex reapse non est; legem tamen denuntiat necessario servandam. Unde, cum quisque legem sectari teneatur veluti primariam humanorum actuum normam, tenetur simul non operari adversus rectum conscientiae dictamen, quo legis existentia, et obligatio innotescit (2).

§. CXXXV.

Quid porro de conscientia errante censendum? Errare dicitur conscientia, si e fallacibus principiis, vel etiam e veris ad actum absurde applicatis deducat, hic et nunc honestum aut turpe fore quod tum in se, tum in circumstantiis tale non est. Hujusmodi conscientiae species, cum e diametro conscientiae rectae opponatur, nequit *proprie ac per se* normam constituere moralitatis. Sed fieri ne saltem poterit per *accidens*, ut conscientia erronea regula morum evadat? Priusquam huic instantiae satisfiat, monemus, conscientiam pro errore vincibili vel prorsus invincibili, quo laborat, *vinci-*

(1) Aureis uti nobis liceat vocibus ethnici philosophi de conscientia tam praeclare sentientis ad Atticum lib. 13. Ep. 20.

(2) De hac obligatione disserens D. Bonaventura in 2. Senten. dist. 39. art. 1. Quaest. 3. inquit: -- Conscientia est sicut praeco Dei, et nuntius, et quod dicit non mandat ex se, sed quasi ex Deo, sicut praeco cum divulgat edictum Regis: et hinc est, quod conscientia habet virtutem ligandi — .

biliter aut *invincibiliter* errantem nuncupari (1). Hoc discrimine probe adnotato, dicimus, conscientiam errantem fieri per *accidens* humanorum actuum regulam, si errore invincibili afficiatur. Error namque invincibilis depelli non potest. Cum depelli nequeat, involuntarius est. Cum sit involuntarius, excusat a culpa. Quidquid ergo fit ex conscientia invincibiliter errante a culpa excusatur. Sed quod a culpa excusatur licitum omnino est. Hanc igitur conscientiam sequi nemini interdicitur, quoadusque invincibilis error perseveret. Porro si, attenta erroris invincibilis circumstantia, licet hujusmodi conscientiae adhaerere, eam fieri *per accidens* regulam morum, necessario consequitur (2). Aliter sentiendum de conscientia vincibiliter errante. Haec enim non tantum *per se* nequit esse regula morum ex dictis, sed nec *per accidens*, quia vincibiliter est erronea. Ex eo deducitur hujus veritatis ratio, quod conscientia in hypothesi vitiatur ab errore, qui, cum de-

(1) Haec distinctio, licet communis atque perspicua, clarius adhuc patebit, si ad mentem ea revocentur, quae de ignorantia tradidimus Inst. 1. §. xxiv.

(2) Consule D. Thomam 1. 2. Quaest. 19. art. 6. Quaestionem heic instituunt scriptores, inquirentes, an opus malum factum juxta conscientiam invincibiliter erroneam sit non modo licitum, sed etiam meritorium? De hac controversia videri poterit Theologia Scholastico-dogmatica Card. Gotti tom. 7. tract. de act. hum. Quaest. 4. dub. 4. §. 2.

poni posset, perinde ac ignorantia vincibilis voluntarium indirectum atque interpretativum non aufert, neque idcirco operantem juxta conscientiae normam a peccato reddit immunem.

§. CXXXVI.

Si e nuper demonstratis conscientia vinci-biliter erronea nec *per se*, nec *per accidens* est regula morum, inferri ne poterit exinde adversus eam agere fas esse? Negative reponimus; nam generatim quidquid fit contra conscientiam peccatum est. Haec propositio cum non uno ex capite firmetur, sit

Probatio 1. *Quod ex fide non est, peccatum est:* inquit Apostolus ad Romanos cap. 14. v. 23. Quae verba omnino decretoria sunt: vox enim fides, cui *pistis* graece respondet, non modo virtutem fidei designat, sed etiam fiduciam, persuasionem, hoc est, conscientiae judicium. Heic autem de conscientia proprie disserere Paulum e contextu sermonis manifestum est; nam ibidem, quemadmodum et in Ep. 1. ad Corinthios cap. 8. ipse loquitur de iis, qui, etiamsi ex errore arbitrarentur idolothytis vesci non licere, ea nihilominus, repugnante conscientiae dictatu, comedebant. Ita sane, paucis exceptis, hunc locum intelligunt plerique

Patrum, Concilium Lateranense .IV., nec non sacri interpretes, ac TT. omnes, e quibus saltem audiatur D. Thomas Lect. 3. in eandem Epistolam dicens: = Potest hic fides dupliciter accipi: uno modo de fide, quae est virtus; alio modo secundum quod fides dicitur conscientia. Et hae duae acceptiones non differunt, nisi secundum differentiam particularis, et universalis: id enim, quod universaliter fide tenemus, puta, usum ciborum esse licitum vel illicitum, conscientia applicat ad opus, quod est factum, vel faciendum. Dicitur ergo, eum, qui manducat, et discernit, esse condemnatum, quia hoc non est ex fide, sed contra fidem, idest contra veritatem fidei, et contra conscientiam facientis = (1). Perspecta ex hisce omnibus Apostoli mente, argumentum e Sacris Literis hac ratione deducimus. Contra intimam persuasionem agit qui conscientiae, quantumvis erranti, adversatur. Sed, teste Doctore Gentium, *quod ex persuasione non est, peccatum est*. Ergo qui adversus conscientiam operatur a culpa non defenditur.

Probatio 2. In idem prorsus consentit ratio naturalis, qua sic brevi procedimus. Qui in conscientiam agit, vult quod apprehendit

(1) Quoad hujus auctoritatis explicationem prae ceteris conferatur August. Calmetus tom. 8. Commentar. in Ep. ad Romanos.

ut malum, quia finem habet legis transgrediendae, cui censet actionem adversari. Sed e pravitate voluntatis, seu finis, quem operans sibi constituit, desumenda est praecipue humanorum actuum malitia (1). Semper igitur peccat qui conscientiam, licet erroneam non sectatur. Hoc ipso utitur argumento Angelicus Doctor quaest. 17. de veritate art. 4. (2).

§. CXXXVII.

Quod nefas omnino sit conscientiam sequi vincibiliter errantem: quod pariter ab ea nemini deflectere liceat: utrumque superius comprobavimus. Hisce autem positis principiis, forte quis objiciet, num qui tali afficitur conscientia perplexus haerebit? Profecto, cum neutrum e contradictoriis absque culpa eligere valeat, quocumque se verterit homo, necessario peccabit. Verum haec tollitur difficultas, si necessitas *consequens ab antecedenti* et *absoluta* distinguatur. Da-

(1) Id jam comprobavimus Instit. lib. 1. §. 43.

(2) Illud in praetaritis habendum non est, quod actus erroneae conscientiae repugnans eam semper induit paccati gravitatem et speciem, quam operans actioni arbitratur inessa. Haec assertio veluti consectarium profluit a doctrina D. Thomae, qui Lect. 2. in cit. Ep. ad Rom. ait: — Actus judicantur secundum voluntatem agentium: voluntas autem movetur a re apprahensa. Unde in id voluntas tendit, quod ei vis apprehensa representat, et secundum hoc qualificatur, vel specificatur actio —.

mus itaque lubenter, in quadam versari peccandi necessitate qui tali conscientia detinetur. Haec tamen necessitas, cum ab errore vincibili procedat, indirecte volita est. Si indirecte volita; consequens ergo erit, non antecedens, non absoluta. Si non absoluta; ergo summo studio deponenda, ut peccatum vitetur. Ita dubium resolvit D. Bonaventura in 2. sentent. dist. 19. art. 1. quaest. 3. dicens, conscientiam culpabiliter erroneam *ligare ad se deponendum* ad alterius discrimen, *quae ligat ad faciendum*. Sed hac in re prae ceteris audire non pigeat Angelicum Doctorem, qui in eundem Sententiarum librum distinct. 39. quaest. 3. art. 3. ad 5. ait: = Dicendum quod simpliciter nullus perplexus est absolute loquendo: sed quodam posito, non est inconveniens, illo stante, aliquem perplexum fore: sicut intentione mala stante, sive fiat actus debitus, qui est in praecepto, sive non fiat, peccatum incurritur. Similiter etiam, stante erronea conscientia, quidquid fiat peccatum non vitatur. Sed potest homo conscientiam erroneam, sicut et intentionem pravam deponere: et ideo non est simpliciter perplexus =. At quonam pacto hoc erroneum conscientiae dictamen deponendum? Non temere, sed prudenter id fieri necesse est. Media siquidem adhibeantur oportet, quae

ad errorem pellendum noscuntur aptiora. Quatuor autem haec sunt: 1. nempe examen diligens, quo ingenue expendatur, utrum actio reapse honesta sit, vel turpis: 2. timoratorum ac sapientum consultatio: 3. eorum imitatio, qui christiana pietate, morumque integritate refulgent: 4. demum supplex oratio ad coeleste lumen deposcendum, quo intellectus tenebrae solvantur.

CAPUT SECUNDUM

DE CONSCIENTIA LATA ET SCRUPULOSA.

§. CXXXVIII.

Duo sunt extrema invicem pugnantia, atque in moralibus apprime cavenda, nimirum conscientia lata, et scrupulosa. Prior ea est, qua intellectus ob levissima rationum, vel auctoritatis momenta, et quidem cupiditatibus faventia, honestum arbitratur quod malum est, vel etiam uti levem noxam parvipendit quod gravem malitiam complectitur. Altera vero contra aeque inanibus ex causis judicat, vel suspicatur aliquid latere mali in opere quod bonum est, vel indifferens; aut apprehendit veluti grave peccatum quod levem culpam non excedit (1). Ex

(1) E tradita conscientiae scrupulosae definitione facile constat nonnisi per injuriam reprehendi, qui non modo graves cul-

hisce colligimus, ad erroneam pertinere tum latam conscientiam, tum scrupulosam, neque ad actum, prouti decet, Synderesim applicare. Consequens inde est ex (§. CXXXIV, CXXXV.), neutram earum normam fore moralitatis. Utraque igitur deponenda: illa primum per rationes sive intrinsecas sive extrinsecas, quae veritatem ostendant: haec autem per plura media, de quibus mox erimus acturi.

§. CXXXIX.

Antequam vero de hisce mediis agamus, operae pretium erit investigare quibusnam ex causis scrupulorum morbus originem deducat. Permultae ac variae sunt hujusmodi causae, quas ad duo genera commode referimus: aliae quippe internae sunt, aliae ab extrinseco procedunt. Internae scrupulorum causae quinque potiores indicantur; scilicet

1. Frigida, ac pusillanimis complexio, ob quam nonnulli ad suspiciones maxime propensi inanibus apprehensionibus perturbantur.

2. Mentis imbecillitas vel naturalis, vel contracta per morbum, sive etiam ex im-

pas abhorrent, sed leviores quoque metuunt, easque pro viribus devitare student, ut ad viam perfectionis contendant. Hi nimirum non scrupulosi, sed vere timorati dicendi sunt ad instar pientissimi Job, qui omnia opera sua verebatur.

moderatis austeritatibus, quae corpus extenuantes nonnunquam animi tristitiam ingerunt, et pariunt anxietates.

3. Nimia firmitas in propriis opinionibus, ob quam, posthabitis aliorum consiliis, judicem suarum actionum satis idoneum se se quis existimat.

4. Ingenii subtilitas, qua rationes dubitandi exurgunt de cujuspiam actionis honestate, a quibus tamen animus fluctuans nequit expediri.

5. Ignorantia denique ab assensu tentationem, levem culpam a gravi non discernens.

Item externae causae, unde scrupuli oriuntur sequentes enumerantur.

1. Societas cum scrupulosis. Horum enim consuetudine fit persaepe, ut qui timidioris conscientiae sunt ad perplexitates, futilesque dubitationes pertrahantur.

2. Divina voluntas, quae hanc sinit infirmitatem vel in praeteritarum culparum expiationem, vel ad praebendam occasionem meriti, vel ad superbiam hominis conterendam.

3. Daemonis versutia, qui suave Christi jugum veluti asperum scrupuloso repraesentat, ut difficili virtutis exercitio perterritus desperet, aut ad laxiorem viam perducatur (1).

(1) Haec ex D. Antonino Theol. Sum. loc. sup. cit. §. 3.

§. CXL.

Scrupulorum causis hactenus perspectis, modo videndum superest, quaenam generatim ad spiritalem hunc morbum sanandum communi Theologorum sensu medelae proponantur.

Remedium 1. Nunquam sane fiet, ut scrupulosus erroneam conscientiam vincat, nisi prius noverit, quam patitur, infirmitatem. Opus est igitur, ut de vitio, quo afficitur, ille suadeatur, simulque grave metuat periculum ruendi in deteriora, quamdiu morbus in eo perseverat.

Remedium 2. Tremenda, atque inscrutabilia Dei judicia considerans plus aequo terreri solet scrupulosus. Opportunum ergo illi erit dejectum animum spei et caritatis actibus erigere, ac de Deo sentire in bonitate; qui quamvis justus delictorum sit vindex, benignus tamen et misericors est.

Remedium 3. Ut plurimum ineptae cogitationes scrupulosi mentem obnubilant. Quae ut removeantur, laboribus incumbendum.

Remedium 4. *Numquid potest caecus caecum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt?* (1). Prae multis itaque probum ac peritum animi moderatorem eligat scrupu-

(1) Ita Christus in Evang. Lucae Cap. 6. v. 39.

losus: illi prompte ac submisse pareat, ejusque judicio penitus acquiescat, mente retinens haec Proverbiorum verba cap. 3. v. 5. et 7. *Ne innitaris prudentiae tuae.... ne sis sapiens apud temetipsum.*

Remedium 5. Postremo scrupulis non disputatione, sed contemptu resistendum est. Cur autem non disputandum? Cur non *positive* luctandum? Quia secus, uti experientia compertum est, anxietates, ac dubia, nedum finem haberent, potius augerentur. Consultius ergo est contra scrupulos agere *negative* leves ratiunculas despiciendo, quae errorem fovent, ac timoratorum inhaerendo auctoritati, cui potissimum niti debent qui tam importuno morbo exagitantur (1).

§. CXLI.

In vitiis corporum curandis attendendae sunt potissimum ab eo, qui medicam artem exercet, tum variae morborum causae, tum etiam peculiares aegrorum conditiones, ut provide ac utiliter infirmae naturae subsidia conferantur. Porro quod fieri oportet in physicis, id in moralibus eo magis praestandum

(1) Quoad necessarium scrupulorum contemptum nobis arridet comparatio, quam loco sup. cit. hisce verbis tradit clar. Gotti; -- Scrupuli sunt in conscientia, sicut catuli latrantes in via, qui ita adlatrant, ut videantur mordere velle transeuntes: magisque adlatrare pergunt si irritentur. Si vero a transeuntibus negligantur, citius quiescunt --.

est; e remediis namque spiritualibus rite vel improprie adhibitis animarum aeterna salus vel perditio dependet. Cum itaque scrupulorum ulcus excidendum sit, Confessarius medici prudentis ad instar probe ac solerter adhibeat remedia a nobis jam recensita, ne sui defectu malum exasperetur, ac fiat insanabile. Quod ut contingere valeat, nonnulla monita pro scrupulosi directione suggerunt Ethicae Sacrae Scriptores, quae ad calcem hujus articuli referre ducimus pernecessarium.

Monitum 1. Cum animarum director exploratam habuerit in poenitente scrupulorum originem, remedium inter plura seligat, quod opportunius ad morbi causam explodendam videtur; non enim omnibus omnia conveniunt. Quocirca, si e. g. animi perturbationes ignorantia pariat, scrupulosus instruendus erit: si superbia, mentis simul et cordis humilitas suadeatur: si immodicae austeritates, hae vel prohibeantur, vel moderatae tolerentur: si adversa corporis valetudo, prius infirmitas pellatur. Hac ratione semel ac fuerit causa sublata, tollitur et effectus.

2. Verum, ut ad particularia descendamus, animadvertimus praesertim, scrupulos in hoc sistere posse, ut quis anceps continuo haereat, num pravis cogitationibus, queis

persaepe torquetur, dederit assensum? Hac in hypothesi censendum est poenitentem haud peccasse, si culpam habitualiter hic abhorreat, ac devitet. Improbabile quippe est, timoratum hominem lethali culpa gravari, quin certo se deliquisse cognoscat. Ejusmodi ergo dubia spernantur, imo nec minutatim audiantur in Confessione.

3. Pavent alii circa praeteritas Confessiones, quas recolere frequenter vellent, de earum integritate, vel de contritione dubitantes. Ne scrupulis fomes praebeatur, huic poenitentis voluntati consentiendum non est, cum aliunde non constet de gravi confessionum vitio. Item neque ferendum, ut culpas anteactae vitae scrutetur et sacramentaliter aperiat, nisi sermo sit de lethali noxa indubie admissa, nec unquam poenitentiae clavibus subjecta.

4. Plures quoque sunt de futuro nimium solliciti, haesitantes de iis, quae gerenda, vel omittenda sint, cum lapsum in cunctis actibus vereantur. A tanto vinculo facile eos dissolvere poterit Confessarius, hanc veluti normam iisdem exhibens: ut, abjecta nempe formidine, *laborem* non fingant *in praecepto;* sed libere operentur, illudque tantum caveant, in quo culpa evidenter apparet.

5. Benigne agat cum scrupuloso poeniten-

tiae Minister, eumque cohortetur, ut angustias animi removeat, ut pietatis opera exerceat, ut Sacramentis utatur, utque praecipue normam obedientiae sectetur; quae virtus ad pacem recuperandam admodum est necessaria. Si tamen, quod pluries contingit, hic renuat obtemperare; tum specie quadam severitatis illum corripiat, ac etiam retrahat a Sacramentis.

6. Sapienti moderamine tamen cum suavitate rigorem temperare studeat Confessarius, ne forte poenitens, quem sibi asperum experitur, virtutis tramitem perosus, in alterum magis perniciosum extremum, hoc est a conscientia scrupulosa ad nimis latam deflectat (1).

CAPUT TERTIUM

DE CONSCIENTIA CERTA, ET DUBIA.

§. CXLII.

Actus, quo intellectus firmiter, et absque prudenti formidine de opposito judicat, opus hic, et nunc moraliter bonum esse, vel malum, Conscientia certa vocatur. Certitudo,

(1) Haec, quae tradidimus, remedia et monita proponunt D. Antoninus loco jam cit; Gersonius tract. de Consc. et Scrup. Antoine Theol. Mor. tom. 1. parte 2. tract. de Conscientia Cap. 3. Quaest. 3. et 4; ac praesertim B. de Ligorio Theolog. Mor. tom. 1. tract. 1. Cap. 1.

cui tale judicium veluti fundamento nititur, dividi solet in *metaphysicam, physicam,* et *moralem.* Prior, quae possibilitatem oppositi excludit, habetur de principiis evidentibus, deque eorum consectariis necessario et legitime deductis. Hac certitudine constant veritates Matheseos, vel Metaphysicae disciplinam spectantes; tum etiam ea cuncta, quae Fidei Theologicae materiale constituunt objectum. Altera sensuum testimonio, et experientia adquiritur circa veritates, quarum oppositum non quidem absolute pugnat, sed juxta naturae leges fieri non potest. Sic certum est, ignem comburere, humum petere lapidem cadentem, hominem fato functum a mortuis non surgere. Oritur posterior ex argumentis, non quidem per se ac necessario cum veritate conjunctis, sed raro fallentibus, quae ex analogia eruuntur, vel ab humana auctoritate dependent: haec autem argumenta, licet possibilitatem non auferant de opposito, nihilo secius tanta virtute quandoque pollent, ut ex iis, maximus certitudinis gradus exoriatur. Quocumque vero certitudinis genere conscientia hominis ducatur, hanc prudentem, tutamque fore moralitatis normam ita paucis ostendimus. Ea est prudens ac tuta operandi norma, qua firmiter, et absque rationabili dubitandi causa de actuum malitia, vel

bonitate monemur. Id vero ex definitis praestat Conscientia, quae certa nuncupatur. Haec igitur est prudens, ac tuta regula morum.

§. CXLIII.

Secus de Conscientia dubitante concludimus, quae vere ac proprie neque conscientia dici potest, cum judicium non sit, sed potius inter utramque contradictionis partem judicii suspensio (§. CXXXIII). Posita namque suspensione judicii quoad bonitatem, aut malitiam operis hic et nunc exercendi, jam cuique patet, nil in conscientia dubitante reperiri, quod assensum hominis valeat determinare. Hinc jure inferendum, eam nec prudentem nec tutam esse normam, qua humanae dirigantur actiones. Qua de re optime Tullius inquiebat lib. 1. de Officiis: *Bene praecipiunt qui vetant quidquam agere, quod dubites aequum sit, an iniquum?*

§. CXLIV.

Interim, ut probe intelligantur quae de hujusmodi conscientiae specie supersunt explananda, varias e dialecticae principiis deducamus partitiones dubiorum, quae non raro intellectum afficiunt.

Distinctio 1. Dubium vel *juris* esse potest, vel *facti*. Cum incerta sit legis existentia,

ejusve obligatio de jure tum ambigitur: de facto autem, si quis dubitet, num legem impleverit.

2. Dubium in *speculativum* et *practicum* dividitur. In primo de honestate actionis secundum se et absolute consideratae haesitatur; uti si dubitetur, an liceat mentiri. Posterius circa bonitatem vel malitiam versatur actionis hic et nunc ponendae; mendacii e. g. proferendi, cum hoc necessarium sit, ut vita proximi servetur.

3. Dubium tandem *positivum* a *negativo* maxime differt. Nam si paria utrinque se se offerant rationis vel auctoritatis momenta, vi quorum non magis in unam, quam in alteram partem animus consentiat, dubium *positivum* erit: *negativum,* si nulla. Postremam hanc dubii distinctionem perspicue tradit Angelicus quaest. de veritate 14. art. 1. dicens: = Intellectus.... quandoque non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud, vel propter defectum moventium, sicut in illis problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem aequalitatem eorum, quae movent ad utramque partem: et ista est dubitantis dispositio, quae fluctuat inter duas partes contradictionis.

§. CXLV.

Quibus praejactis, cum explorandum sit,

num, et quando liceat in dubio operari, bina animadversione res plane declaratur.

Animadversio 1. Si conscientia *practice* sit certa de actus honestate, non peccat qui in dubio *speculativo* operatur. Quamvis enim *speculative* quis dubitet de honestate actionis in *genere;* id tamen non impedit, quominus ex aliquo principio certo ille prudenter, ac tute suadeatur, actionem ipsam in *particulari* licere. Hoc autem posito judicio prudenti, ac tuto, quod conscientia in praxi certa appellatur, quisque operari licite potest. Ergo, dubio etiam *speculativo* manente, qui juxta dictamen agit hujusce conscientiae non peccat (1).

Animadversio 2. Si conscientia *practice* dubia sit circa bonitatem actionis, operari non licet. Hoc principium sic facile demonstratur. Qui actionem eligit practice dubitans, num ea bona sit vel mala, non agit ex persuasione de ipsius honestate; secus in

(1) Haec veritas, quae communi TT. gaudet suffragio, elucidatur a clar. Gotti loc. sup. cit. Quaest. 4. de Conscientia dub. 5. §. 2. ita scribente: — Conscientia non dicit scientiam speculativam, sed dictamen practicum applicativum ad opus: potest autem qui speculative et quasi in abstracto fluctuat, in praxi, pensatis circumstantiis, dubium deponere, ac formare judicium prudens, hic et nunc sibi licere quod agit. Haec enim duo non habent oppositionem, cum non sint ejusdem de eodem: nam dubium speculativum est de objecto vel operatione secundum se, et judicium practicum est de objecto et operatione consideratis circumstantiis; quae tamen debent esse tales, ut inducant ad efformandum judicium prudens de opposito —.

dubio non versaretur. Sed *quod ex fide, nempe ex persuasione, non est, peccatum est* (§. CXXXVI.). Igitur qui in dubio practico agit, a culpa non excusatur (1).

§. CXLVI.

Cum nefas sit ex dictis agere in conscientia *practice* dubia, haec deponatur oportet. *Voluntas* enim *bona*, inquit D. Bonaventura, *via regia, et secura debet incedere, et relictis dubietatum diverticulis, quasi suspectis latronum semitis, apertos et tutos justorum calles ambulare* (2). Verum, ut rite definiri possit, quo pacto dubium *practicum* deserendum sit, de *negativo* ac *positivo* seorsum dicamus.

1. Itaque si in dubio *practico negativo* quoad alicujus actus honestatem conscientia sit constituta; cum, omnibus accurate perpensis, nulla ratio saltem probabilis appareat, qua de actus malitia constet, quisque

(1) Quoad principium haic secundo loco traditum videri poterunt Antoine tract. de Conscientia Cap. 2. Quaest. 3., Tournelii continuator Praelect. Theolog. tom. 1. tract. de actibus human. Cap. 7. art. 4; Gotti ibid. §. 2. N. 6. et sequent., Gerdilius oper. tom. 16. Ed. Rom. de Conscientia, B. de Ligorio Theol. Mor. lib. 1. tract. 1. N. 22., ac praesertim D. Thomas, qui disserens Quodlib. 8. art. 13. de eo, qui in dubitatione, an plures liceat praebendas habere, eas recipit, haec habet: — periculo se committit, et sic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem —.

(2) Ita Seraphicus Doctor de processu Religionis proces. 5. Cap. 3.

tum poterit dubitationem, utpote fundamenti expertem, abjicere, ac pro lubitu operari. Ejusmodi namque est dubii negativi natura, ut nulla sint argumenta, quae suspicionem parere valeant de operis malitia, vel, si qua occurrant, adeo levissima sint, ut merito pro nullis habeantur. Hinc ergo qui nullam, aut fere nullam de actionis honestate reperit dubitandi causam, dubium ut ineptum spernat et agat; non enim imprudenter agit qui nullam habet non agendi rationem.

2. Sin autem de dubio *practico positivo* loquamur, hoc per media, quae ad erroneam conscientiam deponendam proposuimus (§. CXXXVII), penitus auferatur. Quod si fieri non contingat, ab actione abstinendum erit, cum non urgeat operandi necessitas: si vero alterutram partem eligere opus fuerit, illud amplectamur, in quo periculum levioris culpae reperitur. Id luculenter docet M. Gregorius lib. 32. Moralium cap. 17. Ibi enim ait: = Dum mens inter minora et maxima peccata constringitur, si omnino nullus sine peccato evadendi aditus pateat, minora semper eligantur: quia et qui murorum undique ambitu, ne fugiat, clauditur, ibi se in fugam praecipitat, ubi brevior murus invenitur =(1).

(1) In id consentit Toletanum Concilium 8. Can. 2. hisce

§. CXLVII.

Ad conscientiae dubiae perplexitates removendas Ethicae Christianae scriptores nonnulla adstruunt generalia principia, inter quae primum nobis occurrit illud jam vulgatum axioma: *In dubiis tutior pars est eligenda.* Enuntiatum principium in Jure Ecclesiastico fundatur, summorumque Pontificum firmatur auctoritate. Nam cap. Juvenis 3. de Sponsalibus legitur: = In his, quae dubia sunt, quod certius existimamus tenere debemus =. Item cap. ad audientiam 12. de homicidio Clemens III. haec decernit de presbytero dubitante, num hominem interfecerit: = Quia vero, utrum occasione vulneris decessisset, dubium habetur, tuae discretioni duximus respondendum, quod, quum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, te convenit injungere presbytero memorato, ut in sacris ordinibus non ministret =. Idipsum in simili proposito dubio statuit Innocentius III. cap. Significasti 18. eod. tit. dicens: = Si discerni non possit, ex cujus ictu percussus interiit, in hoc dubio tamquam homicida haberi debet Sacerdos: et si forte homicida non sit, a sacer-

verbis: — Duo mala licet omnino cautissime sint praecavenda, tamen si periculi necessitas unum ex his perpetrare compulerit, id debemus resolvere, quod minori nexu noscitur obligare — .

dotali officio abstinere debet: cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare; pro eo, quod in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur =. Verum, quanam ratione principium de tutiori parte eligenda in scientia morali adhibendum erit? Ut certa a controversis distinguamus, dicimus, nemine dissentiente, semper, ac necessario hoc principium servandum esse 1. in dubiis tum juris tum facti ad Sacramentorum valorem pertinentibus: 2. si secus periculum gravis detrimenti spiritualis vel temporalis proximo immineret: 3. si tandem tutiorem partem vi legis, aut voti amplecti teneamur. At praeter hujusmodi casus, jure ne ad ceteros etiam indiscriminatim haec regula poterit applicari? En maxima dissidii causa inter auctores. Nam plus aequo dominatum eidem principio concedunt multi. Plerique contra limitibus jam indicatis illud concludunt: adnotant enim ex uno capite, quod si pars tutior in dubiis omnibus tenenda foret, plura devitare oporteret, quae nulla lege prohibentur: ex altero animadvertunt, partem minus tutam non semper abjiciendam esse, cum interdum haec sit tutiore probabilior.

§. CXLVIII.

Quoniam e superius tradito principio non

semper dubia resolvi possunt; congruum hinc erit hoc aliud axioma prae oculis habere: *Pro eo standum est, pro quo stat praesumptio*. Ab iis, quae persaepe contingunt, in alicujus favorem haberi dicitur praesumptio juxta reg. 45. juris in 6: *inspicimus in obscuris quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit*. Cum itaque hinc inde vigeant aequalia argumenta, neque judicium fieri valeat in unam potius, quam in alteram partem inclinans, tum praesumptio, quae uni favet, si locum obtineat, prudenter ex ea poterit judicari. Sed ubi prudens extat judicium de honestate actionis operari licet. Ergo ad dubitantem conscientiam in pluribus deponendam pro eo standum erit, pro quo praesumptio reperitur. Exinde patet, quod si de belli justitia dubitet miles, vel subditus de legis honestate; ille nihilominus bellum gerere tenetur, hic legi obtemperare: nisi enim secus appareat, semper in dubio praesumendum est, Supremum Reipublicae Moderatorem propria non abuti auctoritate. Eodem ex principio colliges, presbyterum, si dubitet, num debitam intentionem habuerit baptizandi, consecrandi, absolvendi, haesitationes hujusmodi relinquere posse: nam tuto praesumitur, in hisce peragendis intentionem saltem virtualem ei non deesse, modo tamen serio atque humano modo operetur.

§. CXLIX,

Praeter ea, quae nuper dilucidavimus, Jurisconsulti aeque ac Theologi omnes in materia justitiae hoc alterum axioma recipiunt. *In dubiis melior est conditio possidentis.* Apertissime eruitur haec veritas e jure civili, ac praecise firmatur ex regula 56. juris in 6; quae ait: *In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis.* In idem prorsus conveniunt quae habentur in Dig. de reg. jur. Nam Reg. 128. dicitur, *In pari causa possessor potior haberi debet:* et Reg. 154: *Cum par delictum est duorum, semper oneratur petitor, et melior habetur possessoris causa.* Cum jure communi hac in re penitus congruit ipsamet lex naturalis, quae profecto clamaret, si, dubio quolibet superveniente, legitima rerum dominia perturbarentur. Aequitas hujusce principii ex eo facile innotescit, quod possessor praeter rationes, quibus ejus causa fulcitur, pares cum rationibus adversarii, possessione gaudet. Hac vero melior fit ipsius conditio, quia, nisi contrarium ab actore probetur, qui possidet rerum dominus semper existimabitur. Etenim, quamvis aliter fieri possit per accidens, ordinarie tamen contingit, ut quisque res suas non apud alios, sed apud semetipsum retineat. Unde perspicuum est hanc regulam omnino

cum priori concurrere, nempe: *in dubiis pro eo standum est, pro quo stat praesumptio.* Igitur, dubio posito de legitimo titulo possessionis domus, vel agri, quem antea bona fide quis tenuerat, si, debitis inquisitionibus praemissis, nulla suppetat ratio praevalens pro actore, tum actualis possessio, aequalitatem juris cum auferat, controversiam dirimit, ac possidenti suffragatur.

Hactenus mirifice inter se concordant scriptores: quae tamen consensio protinus evanescit, si a materia justitiae discedatur. Probabilistae siquidem hocce de meliori possidentis conditione principium generatim adhibent ad casus omnes morales resolvendos, duplexque distinguunt legis et libertatis dominium. Lex, inquiunt, possidet in dubio *facti* adversus libertatem, dum constat de legis existentia, et obligatione, dubitatur autem, num illi fuerit satisfactum. In dubio *juris* contra legem possidet libertas, si nempe incerta sit legis existentia, vel obligatio. Exemplo haec doctrina illustratur. Qui dubitat, an votum emiserit, illud implere non tenetur, quia possessio stat pro libertate: qui vero in dubio est, an voto satisfecerit, cui certo se se obstrinxit, illud persolvere debet, cum in hypothesi vigeat pro lege possessio. In subsidium porro advocant praefatae sententiae patroni nonnulla

principia, quae dominio favent libertatis; uti: *Lex dubia certam non parit obligationem: Lex non praesumitur, nisi probetur: nemo obligatur ad certam solutionem, nisi debitum certum sit: non extinguit debitum certum incerta solutio* (1). Insurgunt ex adverso Probabilioristae, atque contendunt, canonem, de quo disseritur, ad materias morales traduci non posse. Cur enim, opponunt, in rebus ad justitiam spectantibus vim habet regula de meliori possidentis conditione? Quia cum altera convenit, quam superius indicavimus; scilicet: *pro eo standum est, pro quo stat praesumptio.* Verum in ceteris materiis, praeter justitiam, possessio nullam pro libertate contra legem inducit praesumptionem. Probant autem, commentitium omnino esse hoc libertatis dominium; nam, licet per se ac directe libertatem non constringat lex dubia; eam nihilo secius obligat vi legis naturalis, qua quisque pro viribus peccandi periculum avertere jubetur (2). Sed relictis quoad conscientiam dubiam Theologis invicem pro arbitratu con-

(1) Ceterorum ad instar pro hac parte consulatur B. de Ligorio ibidem N. 26; et sequent., nec non Lucius Ferrarius in sua bibliot. verbo Conscientia a N. 38. ad 67. inclusive.

(2) De contentione theologica quoad libertatis possessionem in conscientiae dubiis extricandis inter Probabilioristas legi poterit Cardin. Gerdilius loc. cit., qui fuse simul ac nervose hoc Probabilistarum principium insectatur.

flictantibus, ad conscientiam probabilem, quae adhuc expendenda manet, cominus transeamus.

CAPUT QUARTUM

DE CONSCIENTIA PROBABILI.

§. CL.

= Certitudo non est quaerenda in omni materia: in actibus enim humanis, super quibus constituuntur judicia, et exiguntur testimonia non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sint circa contingentia, et variabilia: et ideo sufficit probabilis certitudo, quae in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat = : ita scribit Angelicus 2. 2. quaest. 70. art. 2. De hac *probabili certitudine*, cui saltem niti debet conscientia, ut rite morales dirigat actiones, in praesens disserendum. At quoniam hic inter Scyllam versamur et Charybdim, quoniam, videlicet, argumentum quaestionibus implexum, quin etiam periculosum, prae manibus suscipimus; consequens inde est, ut illud evolvere ita caute studeamus, ne quid fortassis irrepat, quod vel scriptores catholicos valeat offendere, vel ad extrema vitiosa declinare videatur. Conscientiam itaque probabilem ad trutinam

revocantes, inquirimus 1. Quae sint opinionis probabilis notio, divisiones, et gradus? 2. Quaenam principia sint a morali Theologo in genere probabilitatis admittenda? 3. Tandem quale judicium de celebri controversia probabilismi deceat proferre? Sic delineato hujusce Capitis objecto, tribus articulis brevi simul, ac perspicue rem totam absolvere curabimus.

ARTICULUS PRIMUS

Philosophorum doctrina de probabilitatis natura, divisionibus, gradibusque summatim refertur.

§. CLI.

Probabile, vi nominis conspecta, dicitur quidquid probari potest (1), vel etiam quod ita verum apparet, ut dignum approbatione censeatur (2). Hoc autem ex indiciis profluit, quae dubitationem quidem removent, cum raro decipiant, sed utpote fallibilia omnimodam certitudinem constituere non

(1) Primam hanc significationem recipit D. Augustinus lib. de Utilitate credendi ad Honoratum Cap. 11. dicens. — Quomodo est illud, quod sequuntur, si non probatur, probabile — ?

(2) Posteriori sensu Aristoteles lib. 1. Topicorum Cap. 1. probabilia vocat, — quae videntur omnibus, aut pluribus, vel sapientioribus; et iis, vel omnibus vel plurimis, vel maxime notis, et illustribus —.

valent. Probabilitati si praebeatur assensus, oritur *Opinio*, quae proprie definitur *actus, quo intellectus indiciis sufficientibus innixus uni adhaeret contradictionis parti cum alterius formidine* (1). Res ut clarius eluceat, sequentia circa traditam definitionem adnotamus.

1. Opinio est *actus intellectus* vel *speculativus*, vel *practicus;* non enim per indicia probabilitatis tantummodo judicamus, an res quaepiam vera sit vel falsa, sed etiam quid hic et nunc expediat operari ut honestum, quidve ut malum necesse sit praeterire. Hujusmodi porro actus si practicus sit, tum opinio aliud non est, quam ipsamet conscientia probabilis, de qua mox disputandum.

2. *Indiciis sufficientibus* mens opinantis inhaeret: quae indicia adeo gravia sint oportet, ut viri probi atque sapientis pertrahant assensum. Nam secus haec si levia forent, non vere probabilis opinio, sed improbabilitas haberetur.

3. *In unam contradictionis partem,* qui opinatur, inclinat: unde inferimus, in opinione judicium necessario contineri. Hinc maximum discrimen inter opinionem et dubium, quod est judicii suspensio.

(1) Circa opinionis notionem consulatur Angelicus Doct. lib. 3. de Anima, et 2. 2. Quaest. 2. art. 1.

4. Intellectus opinans dum in unam contradictionis flectitur partem, *alterius formidinem non excludit.* Quantumvis igitur indiciorum pondere ad certitudinem accedere fingatur opinio; haec tamen cum satis firma non sit, nunquam dici poterit certitudo. Consequens inde est, opinionem tum a Scientia, tum a Fide divina procul distare. Etenim cum Fides infallibili constet auctoritate, cum Scientia in evidenti cognitione fundetur, opinionem utraque eliminat, ac certitudine gaudet.

§. CLII.

Pro duplici rationis vel auctoritatis principio, a quo probabilitas originem deducit, haec prae primis in *intrinsecam,* vel *extrinsecam* dividi solet. Intrinsecam probabilitatem verisimilia tantum rationum argumenta pariunt: siquidem e ceteris, quae ineluctabilia, penitusque conspicua sunt, certitudo procedit. Probabilitas extrinseca in humana sistit auctoritate. Verum hic monemus, non a quolibet unius vel alterius scriptoris placito probabilitatem exurgere. Veritatem hanc firmavit Rom. Pont. Alexander VII. censoria nota sequentem inurens propositionem: = Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat, rejectam esse a

Sede Apostolica tamquam improbabilem =. Monemus pariter, non tam a numero doctorum ac testium, quam potissime ab eorum sapientia, prudentia, et probitate desumendum fore probabilitatis argumentum. Hinc rite ad rem nostram ajebat Thyrsus Gonzales, = non facere opinionem probabilem auctores illos, qui vel desiderio placendi hominibus, vel ex pravo affectu faciendi sibi nomen, et inveniendi sectatores, vel sine sufficienti studio nimis propere ferunt judicium, docentes esse licitam actionem, quam illicitam esse docuissent, si ex sincero desiderio inveniendi veritatem diligenter incubuissent illius controversiae studio, et non ducerentur inordinato aliquo affectu = (1).

Altera distinctio probabilitatis accedit: haec enim vel *objectiva* nuncupatur vel *subjectiva*. Probabilitas *objectiva*, quae est ex parte rei, si praecise loquamur, proprie non datur, quia opinio quaelibet necessario vera est, vel falsa. E comuni tamen sententia veluti *objective* probabilis dicitur opinio, quae pro se tales habet rationes, ut universim probabilis videatur. Ejusmodi sunt opiniones theologicae de Scientia Divina, de Praedestinatione, de Gratia, quae cum gra-

(1) Ita scribit praeclarus hic S. J. Theologus de recto usu opinionis probabilis Dissert. 1. §. 6. N. 33.

vium hinc inde argumentorum praesidio muniantur, de iis Ecclesia noluit judicium proferre. Contra, locum obtinet probabilitas, quam *subjectivam* appellamus, si cuipiam suffulta appareat opinio magnis rationum, vel auctoritatum momentis, quamquam haec a ceteris et levia, et minus idonea ad probabilitatem inducendam existimentur.

§. CLIII.

Certitudo ac dubium duo sunt extrema, inter quae probabilitas media consistit. Decrescit haec, aut augetur quo magis a certitudine, vel a dubio recedit. Sed ubi inter duo extrema et majus et minus habetur, ibi plures gradus admittere necessum est. Ergo inter certitudinem ac dubium plures gradus reperiuntur probabilitatis. Determinantur hujusmodi gradus e veritatis indiciis; etenim quo magis vel minus haec firma sunt, eo majores vel minores gradus probabilitatis exurgunt. In hisce autem gradibus duae, pluresve opiniones effingi possunt aequaliter aut inaequaliter constitutae. In prima hypothesi opiniones *aeque* dicuntur *probabiles:* in altera, quae prae ceteris validiori pondere argumentorum praedita est, *probabilior* vocatur; *minus* vero *probabilis,* quae fulcimentis levioribus sustinetur. Interim sedulo cavendum, ne opinio proba-

bilior pro *tutiore,* neve minus probabilis pro *minus tuta* sumatur. Probabilitas namque et securitas omnino differunt inter se, cum illa ex apparentia veritatis eruatur, haec a minori periculo peccati. Ea propter fit saepe, ut tutior sit minus probabilis opinio, ac minus tuta probabilior. Quod ut planius constet, ponamus e. c., aliquem forte arbitrari, nullo titulo supra sortem quid recipere fas esse: haec opinio tutior erit, uti cuique patet, quia magis periculum removet usurae; sed minus est verisimilis, ideo minus quoque probabilis. Contra, quod, legitimo titulo concurrente, liceat supra sortem quippiam accipere, minus tuta est haec opinio, cum minus, quam adversa, distet a culpa; probabilior tamen est, quia rationibus comprobatur, quae pro contraria opinione perperam desiderantur. Hisce philosophicis principiis in antecessu pro rerum dicendarum intelligentia prolatis, ad theologicas de Conscientia probabili disputationes jam prope accedamus (1).

(1) Quae circa probabilitatem concise in hoc articulo exarata fuere, tradita fusius reperiri poterunt apud Gravesande Introd. ad Philos. lib. 2. part. 1. Cap. 17. 18. et 19; Mako in Compend. logic. Instit. part. 2. practica Cap. 2; Storchenau Instit. log. part. 3. Cap. 3., aliosque recentiores

ARTICULUS SECUNDUS

De iis, quae in genere probabilitatis a morali Theologo vitanda sint, vel sectanda examen instituitur.

§. CLIV.

Quoad usum opinionis probabilis duo extrema peraeque moraliter noxia procul absint oportet. Haec sunt *tutioristarum,* atque *laxiorum* systemata, quae licet invicem e diametro pugnent, in id tamen ambo conveniunt, ut labefactent Evangelicam Christi doctrinam, animasque ad interitum perducant.

Absolutam certitudinem priores ad agendum requirunt, vi cujus operans a quavis formidine penitus immune ferre valeat judicium de actus honestate. Qua de re, cum opinionem quamlibet, utcumque probabilem, despiciant, pro tutiori parte semper, ac in omnibus standum esse contendunt, ut conscientiae securitati consulatur. Adversanti scopulo impingunt alii autumantes qualemcumque opinionem vix etiam probabilem de actionis honestate ceu tutam regulam morum habendam esse, eamque affatim sufficere ad conscientiae securitatem. Primam et alteram sententiam diris devovendam fore non immerito diximus; haud enim latet,

utramque fuisse Romanae Sedis auctoritate perculsam (1).

§. CLV.

Inter rigidiorum, et laxiorum partes, ut recta procedere valeamus, quidnam constituendum a nobis erit ceu prudens operandi norma in probabilitatis negotio? Pro variis opinionum gradibus, queis affici potest intellectus, plura principia tradimus hisce propositionibus contenta.

Prop. 1. Dum agitur de morum honestate licet sequi opinionem vere ac tuto probabilem extra concursum oppositae probabilioris.

Demonstratio. Vere ac tuto probabilis opinio talibus utitur vel rationum vel auctoritatum momentis, ut sufficiat ad assensum prudenter inclinandum quo veritas apparet (§. CLI. N. 2.). Igitur prudenter agit, qui hanc opinionem sectatur. Sed qui a regulis prudentiae ducitur non peccat. Peccatum ergo non est juxta opinionem vere ac tuto probabilem operari (2). Si forte quis

(1) Tutiorismum profligavit Alexander VIII. proscribens an. 1690. sequentem propositionem: — Non licet. seqni opinionem vel inter probabiles probabilissimam —. Item laxiorum errorem oppugnatum noscimus an. 1679. ab Innocentio XI. in hac, quam damnavit, propositione: — Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus —.

(2) Ut adhuc dilucidetur haec prior prop; verba referre lubet

nobis objiciat nefas esse, hanc sequi opinionem, cum in ipsa habeatur oppositi formido; reponimus, levem omnino esse formidinem, quae datae opinioni inhaeret, jamque firmatae positioni minime officere. Nam ad agendum satis est, ut probabile peccati periculum auferatur; idque prorsus evenit, cum opinio de actus honestate sit vere ac tuto in conscientia probabilis. Ceterum, si ob extantem qualemcumque formidinem oppositi agere non liceret; profecto, non modo quaevis opinio probabilis, sed et probabilissima abjicienda foret adversus Alexandri VIII. definitionem superius memoratam, quia cum nec illa ad certitudinem perveniat, aliqualem formidinem non excludit.

Prop. 2. In concursu opinionis minus probabilis minusque tutae opinio probabilior, ac tutior sectanda videtur.

Clar. Card. Gotti loc. cit. Quaest. 5. dub. 1. §. 2. N. 8. ita scribentis: — Opinio illa est vere, ac tute in conscientia probabilis quam homo sequens prudenter operatur, quando eam opinionem sequitur, de qua viri probi, et sapientes post diligentem veritatis inquisitionem, idest, post serium examen rationum pro utraque parte, citra passionem et culpam judicarunt, agere secundum illam honestum esse, vel saltem licitum, et nulla lege prohibitum, vel absolute, vel in illis saltem circumstantiis, quibus occurrit operari. Hoc enim ipso, quod viri probi et sapientes ita judicaverint, nec inventa sit apud doctos ratio evincens contrarium, nec Ecclesia aliter judicaverit, illa opinio vere probabilis et tuta prudenter censenda est probabilitate, nedum extrinseca, sed etiam intrinseca: quia prudenter aestimandum est viros illos aeque pios, ac doctos nonnisi gravi et solido fundamento ductos in eam sententiam ivisse —.

Dem. 1. e Sacris Literis. *Ante omnia opera tua verbum verax praecedat te, et ante omnem actum consilium stabile*: haec habet auctor Ecclesiastici Cap. 37. v. 20. *Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos:* Ita scribit Apostolus 1. Ep. ad Thessalonicenses Cap. 5. v. 21. et 22. Hisce positis, argumentum sic ex utroque Testamento concludimus. Verbum verax illius opera non praecedit, qui opinionem probabiliorem deserit ac tutiorem: etsi namque opinio minus probabilis et minus tuta esse possit vera; saepius tamen ei subest falsum, quia magis distat a veritate, quam ab errore, utpote minus probabilis. Item qui opinionem tenet, in qua minus veritas enitet, unaque minus periculum removetur peccati, non omnia probat, uti deberet, non tenet quod bonum est, non abstinet ab omni specie mala, quin potius a specie boni recedit. Consequens ergo est, Divinis Scripturis adversari, qui probabiliori simul ac tutiori minus probabilem, minusque tutam praefert sententiam.

Dem. 2. e Sanctis Patribus. Idem prorsus eruitur e doctrina Patrum, qui toto opere suadent in iis, quae perficienda sunt vel declinanda, veritatis prosequendae necessitatem. Inter eos primum deligimus Joannem Chrysostomum Homil. 13. in Cap. 7.

Ep. 2. ad Corinthios dicentem: = Non igitur multorum opiniones habeamus, sed res ipsas inquiramus. Quomodo autem non absurdum propter pecunias aliis non credere, sed ipsas numerare, et supputare, pro- rebus autem amplioribus aliorum sententiam sequi simpliciter? Praesertim cum habeamus omnium exactissimam trutinam, et gnomonem, ac regulam, divinarum, inquam, legum assertionem. Ideo obsecro, et oro omnes vos, ut relinquatis, quidnam huic vel illi videatur; deque iis ab Scripturis haec omnia inquirite, ut veras divitias discentes, eas sectemur, et aeterna bona assequamur = (1). Accedat Ambrosius ita clerum alloquens lib. 1. de Offic. cap. 50: = Qui. id solum sequuntur, quod honestum est, et ubi duo honesta, id quod honestius est praeponendum putant, hi jure benedicti = : rursus lib. 2. cap. 30. pergit: = Filii ante factum cogitate, et cum diutius cogitaveritis, tunc facite quod probatis = (2). Item Augustinus, fideles docet lib. 22. Cap. 23. De civit. Dei, = excubare sollicite, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebrae alicujus erroris offundant, ne quod bonum est malum, aut quod malum est

(1) Excerpsimus Chrysostomi auctoritatem ex perlaud. Gotti loc. cit. Quaest. 5. dub. 2. §. 1. N. 12.

(2) Vide tom. 4. Op. D. Ambrosii ed. venet. 1781.

bonum esse credatur, ne ab iis, quae agenda sunt metus revocet, ne in ea, quae agenda non sunt cupido praecipitet = (1). Hisce Bernardus adjiciatur, qui tract. de praec., et dispensat. ait Cap. 14. N. 36. = Ut oculus interior vere sit simplex, duo illi necessaria arbitror, charitatem in intentione, et in electione veritatem = (2). Tantum porro studium, tanta solertia, quam in perquirenda, sectandaque veritate Sancti Patres inculcant, quomodo in eo fingi poterit, qui tutiorem simul ac probabiliorem rejicit opinionem?

Dem. 3. ex Pontificia auctoritate. Regulam hactenus comprobatam apertis ulnis amplectitur Benedictus XIV., eamque tradit animarum pastoribus generatim servandam in Epistola Encyclica ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos de praeparatione ad annum universi jubilaei, quae incipit *Apostolica Constitutio*. Maximi hujusce Pontificis verba exaudiantur. = Sat erit, *is inquit ibidem* §. 21., sat erit Confessarios monuisse, ut in re dubia propriae opinioni non innitantur; sed antequam causam dirimant, libros consulant quamplurimos, eos cum primis, quorum doctrina solidior; ac deinde in eam descendant sententiam, quam ratio suadet, ac firmat au-

(1) Ex tom. 7. Operum Ed. Ven. 1732.
(2) Ex Oper. Doct. Clarae Vallensis vol. 2. ed. paris. 1719.

ctoritas. Nec aliud sane docuimus in nostra Encyclica super usuris..... ubi §. 8. ita scripsimus: *Suis privatis opinionibus ne nimis adhaereant; sed priusquam responsum reddant, plures scriptores examinent, qui magis inter ceteros praedicantur: deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent.* Idipsum modo repetimus. Nostra quippe sententia non solis rei usurariae limitibus circumscribitur, sed ea omnia complectitur, quae sive ad forum Sacramentale, sive ad rectum conscientiarum regimen quoquo modo conferre possunt = (1).

Dem. 4. e consensione Theologorum. Innumeri prope sunt scriptores, eorumque complures pietate simul atque ingenio praestantissimi, qui in alterius conflictu opinionem minus probabilem ac minus tutam eligi non posse docuerunt. Si de antiquioribus loquamur, nemo unus visus est a ceteris per sexdecim saecula dissentire (2). Inde suborta *Probabilismi* doctrina, nec defuere sententiae veteris propugnatores; anti-probabilistae scilicet omnes, a quibus hac in re neque dis-

(1) Praefata constitutio, quam vulgavit hic Supremus Ecclesiae Rector an. repar. sal. 1749; suique Pontificatus 10., in ejusdem Bullarii tom. 3. reperitur sub N. 19.

(2) De hoc universali Theologorum consensu legi poterunt Vincentius Card. Gotti loc. cit. dub. 2. §. 2. N. 38., et Laurentius Berti discipl. theologic. lib. 21. Cap. 13. et 14.

sidens est qui praeclarum inter probabilismi assertores obtinet locum Alphonsus de Ligorio. Beatus hic Antistes Theologiae Mor. tom. 1. lib. 1. tract. 1. Cap. 3. de Conscientia probabili *Morale systema pro delectu opinionum, quas licite sectari possumus*, ita exorditur: = Si opinio, quae stat pro lege videatur certe probabilior, ipsam omnino sectari tenemur, nec possumus tunc oppositam, quae stat pro libertate, amplecti. Ratio, quia ad licite operandum debemus in rebus dubiis veritatem inquirere, et sequi: at ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur amplecti saltem opinionem illam, quae propius ad veritatem accedit, qualis est probabilior =.

Dem. 5. a ratione. Prudentia duce, semper in moralibus agere tenemur: haec virtus enim, ait D. Augustinus, vigilanter *bona discernit a malis, ut in illis appetendis, istisque vitandis nullus error obrepat* (1). Verum qui opinionem minus probabilem sequitur ac minus tutam, prudentiae deserit normam; siquidem bonum rite non discernit a malo, nec erroris periculum avertit, quia leviora gravioribus anteponit veritatis indicia. Hanc ergo opinionem, probabiliore, ac tutiore neglecta, non decet amplecti. Congruum heic addere putamus opinionem, de

(1) Haec habet cit. Doctor lib. 19. de civit. Dei Cap. 4. N. 4.

qua disseritur, minus probabilem ab iis etiam, qui Probabilismo sunt devincti in pluribus repudiari. Ultro quippe et ipsi concedunt, judicem in ferenda sententia partem minus probabilem eligere non posse (1): medicum extra necessitatis casum debere mediis probabilioribus infirmo succurrere: opinionem minus probabilem, ac minus tutam a consiliario proponendam non esse de rebus ad bonum publicum pertinentibus. At si prudentia vetat minus probabilem opinionem ac minus tutam sectari, ne alienum temporale detrimentum consequatur; cur idem pari saltem ratione dicendum non erit generatim quoad honestatem actionum, ut malum vitetur spirituale proprium, vel alienum, quod e transgressione legis exoritur?

Prop. 3. Juxta opinionem minus tutam, sed probabiliorem fas est operari, tutiore, ac minus probabili relicta.

Dem. 1. Cum quis minus tutam, simulque probabiliorem sequitur opinionem, voluntas ejus in id fertur, quod est verisimilius. Sed minus verisimili posthabito, voluntas jure prosequi potest quidquid intellectui verisimilius apparet: nam sic propius ad moralem

(1) Hujusmodi assertio roboratur Innocentii XI. auctoritate, qui sequent. damnavit prop. -- Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem -- .

certitudinem accedit. Probabiliorem igitur, quamquam minus tutam, opinionem cuique licet alteri anteferre.

Dem. 2. Hujusmodi opinio, si rejicienda foret, quia minus tuta; ab eo recedere oporteret quod verius existimatur, oporteret in tutiorismum deflectere, quod systema reprobatum vidimus sup. (§. CLIV.). Hinc, ut ad quaedam particularia deveniamus, concludendum foret, nihil supra sortem recipiendum esse ob titulum *damni emergentis* vel *lucri cessantis*, cum tutius sit mutuum gratis dare: legitimam praescriptionem locum non habere, cum tutius sit rem alienam domino reddere: a contractibus abstinendum esse, cum sit tutius non contrahendo peccatum declinare. Quae sane cum grave jugum ac penitus intolerabile hominibus imponerent, liquido patet absurditas contrariae, quam spernimus, tutioristarum sententiae.

Prop. 4. Si duae opiniones aeque probabiles in conflictu ponantur, quarum una prae alia sit tutior, in hypothesi agendum erit, ac si quis in dubio *positivo practico* versetur.

Dem. Tum dubium practicum positivum exurgit, cum gravia simulque paria hinc inde vigent intrinseca vel extrinseca argumenta, ob quae animus de actionis honestate suspensus in neutram partem inclinat.

Idipsum vero contingit, si duae opiniones aeque probabiles fingantur, quia ob aequale indiciorum pondus ratio sufficiens non reperitur, cur uni potius, quam alteri adhaerendum sit. Ergo si circa honestatem actionis duae opiniones aeque probabiles concurrant, dubium *practicum positivum* existit. Quo dubio extante, per media quae indicavimus (§. CXXXVII.) sedulo perquirendum erit, utra ex hisce opinionibus sit *objective* probabilior. Si probabilior adsit, haec utpote magis verisimilis, sive tutior, sive minus tuta sit, eligatur ex (prop. 2. et 3.) super enuntiatis. Sin porro, debitis inquisitionibus adhibitis, opiniones aeque probabiles adhuc appareant, iis utendum erit principiis, quae ad dubia removenda (§. CXLVII. CXLVIII. CXLIX.) jam proposita atque inlustrata fuere (1).

(1) E traditis adnotare praestat, duplex vitiosum oxtremnm, de quo egimus (§. CLIV.) a nobis omnino dovitari. Excluduntur quippo ex uno latere inanes laxiorum probabilitates, cum statuatur in 1. propositione, opinionem tantummodo vere ac tuto probabilem sequi licere. Ex altero pariter maxime a tutiorismo recedimus; nam in propositione 3. affirmamus, tutiore praetermissa, minus tutam opinionom amplecti fas esse, quoties haec majori probabilitate fulciatur. Utriusque proscripti systematis fundamenta penitus eversa videri poterunt apud Card. Gotti pluries cit. Quaest. 5. dub. 2. §. 2. et 3.

ARTICULUS TERTIUS

Gravissimae controversiae de Probabilismo conspectus exhibetur.

§. CLVI.

Non ante saeculum decimum sextum controversia Probabilismi inter catholicos agitari coepit: nam prior tantae contentionis fundamenta jecisse fertur Bartholomaeus Medina Theologus hispanus ordinis Praedicatorum in suo Commentario ad Summam Angelici Doctoris, quod typis anno 1577. vulgavit. Quaestionem hic proponens ad 1. 2. Q. 19. art. 6. concl. 3., *utrum teneamur sequi opinionem probabiliorem, relicta probabili? An satis sit sequi opinionem probabilem?* nonnullis interjectis, hac ratione concludit: *mihi videtur, quod si est opinio probabilis, licitum est eam sequi, licet opposita sit probabilior* (1). Eodem ferme tempore Medinam sectati sunt e Thomistarum schola Dominicus Bannes, et Ludovicus Lopez: item Gabriel Vasquez, et Franciscus Suarez e Societate Jesu: inde quoque ceteri permulti recentiores, adeo ut aevo decimo septimo subsequente jam fere ubique gliscens apparuerit Probabilismi doctrina. Equidem non diffi-

(1) Plura de hujusmodi auctore habentur penes Quetif, et Echard in Bibliot. de Scriptoribus Ordinis Praedicatorum.

temur, opinione quavis tenuiter etiam probabili recepta, non paucos sub probabilitatis tegmine corrupta morum tradidisse principia, quae damnavit Apostolica Sedes (1). At si probabilismi abusum infense oppugnavit Ecclesia, nonnisi per injuriam inferri posset, a recto tramite discedere qui verum, debitisque limitibus contentum, systema probabilitatis defendunt. Circa moderatum probabilismi systema, quod plures, neque vulgares Theologi profitentur, quatuor praecipue animadvertimus.

1. Non ab unius vel alterius tantum auctoritate, neque ex levibus indiciis opinionem probabilistae depromunt, sed eam in gravi sive intrinseco, sive etiam extrinseco

(1) Foeda haec moralis doctrinae prolapsio liquido constat e plurimis, quas Romani Pontifices confixere, propositionibus. Absurdis hisce placitis apprime bellum indixit Alexander VII., et in Congr. S. Inquisitionis habita an. 1665. propositiones 45. peculiari decreto reprobavit. Verba autem, quae in §. 1. Decreti continentur haec sunt: — Ss. Dominus noster audivit non sine magno animi moerore, complures opiniones Christianae disciplinae relaxativas, et animarum perniciem inferentes.... noviter prodire: summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina; et quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianae vitae corruptela —. Vide Bullar. tom. 6. part. 6. decr. sub N. 520. Item Innocentius XI. alias 65. ejusdem generis purulentas opiniones proscripsit an. 1679., cujus decr. sub N. 54. in tom. 8. Bullarii refertur.

argumento constituunt, quod prudentem virum determinare valeat ad agendum.

2. Cum opinionem vere probabilem tenendam ipsi doceant, eam non intelligunt, quae veritati per rationem certo cognitae repugnat; non eam, quae vel Divinae Revelationi, vel unanimi Sanctorum Patrum consensui, vel Ecclesiae definitionibus adversatur.

3. Totum fundamentum, in quo sistit probabilismi doctrina, in hac propositione concluditur: *E duabus probabilibus opinionibus aeque minusve probabilem sequi licet, quae favet libertati, altera aeque probabili, vel probabiliori, quae stat pro lege, relicta.*

4. Qua posita propositione, cum ex principiis *directis* haberi nequeat sufficiens ad operandum certitudo, quae prudentem metum de honestate actionis eliminet; hinc ad principia *reflexa* probabilistae recurrunt; quorum ope agens prudenter determinari possit ad opinionem aeque vel minus probabilem prosequendam. Haec autem principia *reflexa*, quibus innituntur, ea sunt, quae retulimus (§. CXLIX); hoc est, libertatis dominium, ac incertitudo legis, quae, cum dubia sit, certam obligationem non inducit (1).

(1) Doctrina, quam heic per summa capita attigimus, quamplures, uti diximus, nacta est patronos. Iis, quos supra citavimus, adjiciantur nominatim Lessius, Sanchez, La-croix, et Bovius;

§. CLVII.

Quasi pro aris et focis luctandum esset, adversus hoc systema consurgunt Anti-probabilistae, quorum alii tutiorismum, alii probabiliorismum tuentur; iique omnes, diversa licet ratione, probabilismi causam oppugnant. Tutioristae, quorum nimis asperam doctrinam rejicit Ecclesia, uti jam vidimus (§. CLIV.), hoc bellum ideo suscipiunt, quod quamvis probabilitatem velint e medio sublatam. Probabilioristae *reflexa* principia cum respuant adversariorum, eam e principiis *directis* deducere malunt certitudinem, quae ad prudenter agendum requiritur. Quapropter contendunt, *e duabus probabilibus opinionibus eam amplecti nefas esse, quae libertati favet, si prae altera, quae stat pro lege non sit probabilior.* Hujusmodi propositionem, quam fundamentale probabiliorismi dogma appellamus, innumeri prope, gravesque TT. propugnant. Inter hosce primus omnium connumeratur Thyrsus Gonzales generalis S. J. Praepositus de se ita scribens in introduct: operis alibi cit. N. 40. = Postquam accurate legi quidquid benignioris senten-

eminent vero prae aliis Senior Paulus Segnerius in Epistolis hac de re diserte conscriptis, nec non pluries commemoratus Alphonsus de Ligorio. Hunc postremum conferat lector studiosus in dissert. -- De usu moderato opinionis probabilis -- inscripta.

tiae doctores pro se, quidquid contra ipsos adducerent severioris sententiae defensores, post exactam totius controversiae discussionem, quamvis fuissem contrariae sententiae principiis assuetus, meo tamen firmiter insedit animo, mansitque infixum,..... nulli permissum esse amplecti sententiam minus tutam in occursu tutioris aeque vel fere aeque sibi verisimilis; atque adeo ad usum licitum opinionis minus tutae necessarium omnino esse, quod post diligentem veritatis inquisitionem, ipsa citra passionem, et culpam appareat operanti sensibiliter, et clare verisimilior opposita, atque hac de causa ab ipso judicatur vera judicio absoluto determinato =. In idem penitus consenserunt Aguirrius (1), Bellarminus (2), Pallavicinus (3), Gotti (4), et Gerdilius (5). Purpuratis hisce scriptoribus accensendi sunt Contensonius (6), Bertius (7), Merbesius (8), Petrus Balleri-

(1) In praefatione ad tom. Concil. Hispaniae.

(2) In Epistola ad Nepotem Theanensem Episcopum.

(3) Ex opere jam citato Thyrsi Gonzales Dissert. 13, N. 76.

(4) Gotti Theologia scholastico-dogmatica tom. 7. loc. sup. cit.

(5) Gerdilius tom. 16. operum edit. rom. de Conscientia probabili.

(6) Contansonius Theol. mentis et cordis tom. 2. lib. 6. dissertat. 3. de probabilismi commento.

(7) Bertius de Theologicis disciplinis lib. 21. Cap. 13.

(8) Merbesius Summae Christianae tom. 1. part. 1. a Quaest. 28. ad 36. inclusive.

nius (1), aliique sexcenti, qui uberrima auctoritatum, et rationum copia pro causa probabiliorismi dimicarunt.

§. CLVIII.

Hisce interim de probabilismi controversia historice prolatis, quid tandem in re tanti momenti a nobis pro munere concludendum?

Conclusio particularis de Probabilismo.

Verus ac moderatus Probabilismus ex dictis praec. (§. CLVI.) opiniones tenuiter probabiles veluti normam humanarum actionum non constituit. Contrarium praestat laxiorum doctrina. Ergo cum *laxiorismo* confundendum non est verum ac moderatum probabilismi systema. Hinc, etiamsi a Romana Sede, a Conciliis particularibus, a plurimis Galliarum Episcopis, a Theologicis Academiis proscripta fuerint absurda morum principia, quae a liberiori opinandi licentia prodiere; exinde non consequitur, tot censuras moderatum probabilitatis usum percellere (2).

(1) Ballerinius Quaest. de opinione probabili.

(2) Ita non immerito reponunt probabilistae, cum hisce auctoritatibus ab adversariis perstringantur. Nam Alexander VII, laxiorismum expunxit in Caramuelis Apologemate — pro antiquissima, et universalissima doctrina de probabilitate — . Propositiones item, quas et Alexander, et Innocentius XI. damnarunt, nec a moderatis probabilistis admittuntur, neque ex eo-

Conclusio particularis de Probabiliorismo.

Moralem certitudinem non *perfectam*, absolutamque Probabiliorismus requirit, sed *imperfectam* saltem, quam *probabilem* vocat Angelicus (1), *conjecturalem* Bellarminus (2). *Benignam* pariter, idest libertati faventem opinionem admittit, cum ea probabilior agenti repraesentatur. Probabiliorismus igitur toto coelo distat a *tutiorismo* (§. CLIV).

Conclusio generalis de utraque controversiae parte.

Quae cum ita sint; cum nempe inter duo vetita extrema Probabilismus et Probabiliorismus consistant, jure inferimus, quemque pro lubitu alterutrum systema tuto amplecti posse, quin a Catholica veritate desciscat. Quaevis autem sit opinio, cui, libratis utrinque rationibus, adhaerere velint Moralis Disciplinae candidati, eos iterum iterumque cohortamur, ne studiis partium indulgeant, ne rixis delectentur, ne secus opinantes contumeliis prosequantur. Dolendum quidem est, nonnullos, nec mediocris

rum profluunt principiis. Nullum denique iis negotium facessit Clementis XIII. decretum editum an. 1761. quo nonnullae theses de probabilismo feriuntur: quemadmodum enim testatur B. de Ligorio loc. sup. cit. ad Monlti prioris calcem, declaravit S. Pontifex, per illud non reprobari propositiones, de quibus disputatur in scholis quaeque a plutibus catholice defenduntur.

(1) Vide auctoritatem D. Thomae relatam hujusce libri Institutionum §. CL.

(2) Ex lib. 3. de Justificatione Cap. 2.

ingenii scriptores in hac praesertim velitatione jurgiis potius quam rationibus invicem digladiari. Dolendum vel maxime, quod virulento ac censorio stylo saepe adversantem audeant impetere sententiam, de qua tamen Ecclesia conticuit. Absonam hanc disceptandi rationem a viri theologi gravitate ac pietate alienam penitus detestamur (1). Cur eam detestamur? Quia privatorum nemini fas est veluti dogmatice pronunciare de iis, quae ipsamet Ecclesia liberae sapientum disputationi reliquit. Forte, quae diximus, vitilitigatores, si qui sint, theologi non probant? Haec a nobis si recipere dedignentur, pareant saltem Innocentii XI. decreto, cujus verba heic placet referre: = Sanctissimus Dominus noster,... ut ab injuriosis contentionibus doctores, seu scholastici, aut alii quicumque se abstineant, et ut paci et caritati consulatur, praecipit, ut tam in libris imprimendis, quam in thesibus, disputationibus, et praedicationibus caveant ab omni censura, et nota, nec non a quibuscumque convitiis contra eas propositiones, quae adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede, re cognita, super iisdem judicium proferatur = (2).

(1) Vide Paraenesim 1. Institutionum libro praefixam.

(2) Haec verba reperiuntur prope finem Innocentiani decreti quod super. (§. CLVI) in peculiari nota citavimus.

Finis Libri Secundi.

LIBRI SECUNDI INSTITUTIONUM

INDEX

LIBER SECUNDUS

	ERRATA	CORRIGE
Pag. 14.	cnique	cui qui
,, 17.	systhematis	systematis
,, 21.	agamus: esto	agamus, esto
,, 24.	nonnumquam	nonnunquam
,, 49.	Pentatheucum	Pentateuchum
,, 64.	a qua	qua
,, 75.	quae hisce verbis	quae in Conc. Trid. hisce varbis
,, 123.	adheeramus	adhaereamus
,, *ibid.*	amplissime	amplissimae
,, 127.	infedeles	infideles
,, 133.	egant,	agant
,, 144.	jubantem,	jubentam
,, 163.	; item	. Item
,, 172.	appositam	oppositam
,, 183.	foveri,	foveri
,, 185.	letificas	laetificas
,, 222.	pareent	parcant
,, 230.	trasfodere	transfodere
,, 235.	exibant	exhibant
,, *ibid.*	sucoensit	succendit
,, 245.	dimitiendum	dimitiendam
,, 273.	Antioco	Antiocho
,, 279.	Hodia octavee dominieae sunt	*Hodie octavae dominicae sunt*
,, *ibid.*	Jesus	Jesu
,, 302.	necesitatam	necéssitatem
,, 303.	semel	semel saltam
,, 367.	jnstitiam	justitiam